DE

PROVERBIIS ALIISQUE LOCUTIONIBUS EX USU VITAE COMMUNIS PETITIS APUD ARISTOPHANEM COMICUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. MENSIS MARTII HORA XI

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

LUDOVICUS BAUCK.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

C. GRUNDNER, CAND. PHIL.
E. KRIEGER, STUD. PHIL., SEM. PHIL. SOD.

REGIMONTI PR.
TYPIS TYPOGRAPHIAE LEUPOLDIANAE.
MDCCCLXXX.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

LUDOVICO FRIEDLAENDER

PROFESSORI PUBL. ORDIN. ACAD. ALB.

PRAECEPTORI CARISSIMO

ET

IGNATIO WETZKI

PRAESIDI JUDICII PROVINCIALIS GRAUDENZIANI

SOLLEMNIA MUNERIS PUBLICI PER L ANNOS AD-
MINISTRATI DIE XIX MENSIS MARTII CELEBRANTI
GRATULANS

GRATIAE ET REVERENTIAE TESTANDAE
CAUSA

D.

AUCTOR

Proverbia locutionesque vulgares in omnibus Graecorum scriptis inveniuntur; jam apud Homerum legimus locutiones, quae sunt ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον in Od. 17,218 et οὐδ' ἄλα δοίης in Od. 17,455. cf. Bergk, Griech. Lit. Gesch. p. 360—9.

Neque tamen hae tantum locutiones proverbiales apud Homerum occurrunt, sed multae inveniantur, si quis huic operi studium impenderit; e quibus nonnullas hic notare liceat, veluti Il. 4,35. 9,385—6. 10,173. 10,246. Tum ab Hesiodo septemque qui dicuntur sapientibus multas sententias locutionesque esse dictas, quae postea in ore vulgi versarentur, quis est, qui nesciat? Jam vero in tragicorum et comicorum poetarum fabulis numerus locutionum proverbialium nonne magnus est? Neque ignotum est, in libris Platonis et Aristotelis aliorumque scriptorum, veluti Plutarchi, Luciani locutiones proverbiales non parvo inesse numero. Sed cur omnes antiquitatis scriptores enumerem, cum notum sit, esse neminem, a quo locutiones proverbiales non sint adhibitae?

Atque cum proverbiis locutionibusque proverbialibus veteres elocuti sint, quae ad vitae rationem ac viam recte instituendam utilissima putabant, ita ut quasi in speculo mores veterum in proverbiis cernantur, operae pretium sit, ex hac quoque parte quaerere atque cognoscere, quales veterum mores fuerint. Nec veteres ipsos effugit, quanti ad mores cognoscendos momenti sint proverbia; quapropter jam Aristoteles teste Diogene Laertio V, 26 de prover-

biis disseruit; qui quanti proverbiorum vim aestimaverit, sic ap. Synesium, Cyrenes in Africa episcopum, ἐγκωμίῳ φαλάκρας, Turnebi ed. p. 59 scriptum legimus: παλαιᾶς ἐστι (sc. ἡ παροιμία) φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα, περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα.

Tum de proverbiis disputaverunt Theophrastus, Clearchus Solensis, Chrysippus, Dionysodorus, Demo; sequuntur viri docti qui temporibus Ptolemaeorum Alexandriae vixerunt: Aristophanes Byz., qui duos libros τῶν ἐμμέτρων et quattuor τῶν ἀμέτρων παροιμιῶν scripsit; deinde Lucillus Tarrhaeus, Didymus, Theaetetus, Aeschylus, Mylon, Aristarchus aliique, quos enumerare omnes, cum ea, quae ipsi disseruerunt, tradita nobis non sint, longum est; de quibus qui plura cognoscere velit, conferat, quae Leutschius et Schneidewinus in corpore paroemiographorum praefati sunt.

Illorum ex scriptis scriptores posteriorum temporum hauserunt, quorum in numero Zenobius est, cujus librum traditum habemus. Is fuit aequalis Hadriani Augusti teste Suida; liber ejus est inscriptus ἐπιτομὴ παροιμιῶν ἐκ τῶν Ταῤῥαίου καὶ Διδύμου συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον.

Excipit hunc Diogenianus Heracleotes, cujus liber de proverbiis scriptus item in manibus nostris versatur. Ab ignoto auctore collata sunt proverbia, quae in appendice Vaticana quadam, de qua cf. Andreae Schotti praef. in paroem. graec. ed. a. Gaisford. p. XIX, et in codicibus Bodlejano et Coisliniano continentur. Jam aetati quae medium aevum dicitur adtribuendi sunt Gregorius Cyprius et Michael Apostolius, quorum collectanea nobis praesto sunt.

Cum hi omnes ea ratione disseruissent, ut alter ex scriptis alterius hauriens proverbia singula ordine literarum disposita explicaret, Desiderius Erasmus Roterodamus primus eam in proverbiis tractandis viam est ingressus, ut proverbia, quae ejusdem generis essent eandemque continerent sententiam, in unum colligeret collectaque explicaret. Alterum quo opus ejus a ceteris differt est id, quod non solum veterum paroemiographorum scripta adhibuit, sed etiam

scripta ipsa veterum, quae nobis servata sunt, inspexit atque inde proverbia locutionesque proverbiales contulit. Tertium denique bene Erasmus de Graecis Latinisque proverbiis una disputavit; nam qui proverbiis tractandis aliquam operam dederit, facile intelleget, multa proverbia, quae apud Latinos scriptores inveniantur, originem ex Graecis ducere vel etiam interdum ipsa Graeca esse in Latinum sermonem conversa. Inscriptum est opus Erasmi: Adagiorum chiliades quattuor, Basileae 1574.

Nostro saeculo, qui de proverbiis disseruerunt, viam, quam Erasmus erat ingressus, reliquerunt, atque id tantum egerunt, ut veterum paroemiographorum collectanea recenserent; quorum in numero sunt Schottius et Gaisfordius. Postremum commemorandum est corpus paroemiographorum, quod Leutschius et Schneidewinus ediderunt, quod primo volumine (ed. 1839) continet Zenob., Diogen., Plutarch., Gregor. Cyprium, cum appendice proverbiorum; altero (ed. 2851) Diogen., Gregor. Cyprium, Macarium, Aesopum, Apostolium, Arsenium, cum mantissa proverbiorum.

Quibus rebus cognitis quis est qui non intellegat, hanc literarum partem magnis etiamnunc in tenebris versari atque proverbiis locutionibusque vulgaribus explicandis denuo operam esse dandam? Quod opus ea ratione suscipiendum erit, ut imprimis veterum scriptorum scripta ipsa excutiantur; secundum locum obtinebunt paroemiographi, scholiastae, lexicographi, quorum auctoritate nitimur in agnoscendis proverbiis. Quam rationem jam Erasmus secutus est; qui tamen parum paroemiographos scholiastasque respexit neque satis dilucide explicuit, unde et quo tempore singula proverbia sint orta, quemadmodum a singulis scriptoribus adhibita et quomodo paulatim mutata sint. Nam qui omnibus proverbiis tractandis Graecis Latinisque operam dabit, is earum rerum, quas modo dixi, diligenter rationem habeat necesse est. Sed de omnibus proverbiis tum demum disputari posse, cum proverbia, quae apud singulos scriptores occurrant, tractata sint, nemo est, qui non videat. Quadecausa ut hoc non minus difficile quam utilissimum jucun-

dissimumque opus suscipiatur, de proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis, quae apud Aristophanem comicum inveniuntur, disserere institui.

Priusquam ad id, quod mihi proposui, propius accedam, paucis de nonnullis rebus disserendum mihi est, quae huc spectant. Atque primum de origine vocis παροιμία quae viri docti docuerint, videamus. Jam ap. Diogen. in praef. proverb. vocis originem sic definitam legimus: τὴν παροιμίαν ὀνομάζεσθαί φασί τινες ἀπὸ τῶν οἴμων· οὕτω δὲ αἱ ὁδοὶ ἐκαλοῦντο· vel ap. Apost. in praef. ἡ δὲ παροιμία ἐκ τῆς „παρά" προθέσεως καὶ τοῦ οἶμος, ἡ ὁδός· παραοιμία καὶ παροιμία· ἤτοι τὸ παροδικόν τρίμμα καὶ διήγημα· simulque apud utrumque illud institutum commemoratum legimus, quo jam Hipparchum usum fuisse Plato Hipp. 228 memoriae prodidit. Verba Diogeniani haec sunt: οἱ δὲ ἄνθρωποι ὅσα κοινωφελῆ εὕρισκον, ταῦτα κατὰ λεωφόρους ὁδοὺς ἀνέγραφον ὑπὲρ τοῦ πλέονας ἐντυγχάνοντας τῆς ὠφελείας μεταλαμβάνειν· Similiter Beckerus (Das Sprichwort in nationaler Bedeutung.) magis acute quam probabiliter vocem παρόδιος i. e. παροιμία triplici modo interpretari conatus est.

Aliam rationem in origine vocis παροιμία explicanda instituerunt ii, qui vocem παροιμία ex παρά et οἴμη compositam esse putant, quorum e numero imprimis Bergkius commemorandus est. Is enim l. c. originem proverbii ipsius ex fabula ducit, quam Graeci αἶνος vocant, atque censet, proverbium esse nihil aliud quam exemplum contractum et ea continere, quae fabula utilia ad vitae hominum rationem recte instituendam doceat; vocem παροιμία similiter atque προοίμιον esse formatam atque significare versum ultimum carminis, veluti ap. Athen. XV, 696 versus intercalaris ἰὴ παιών non solum ἐφύμνιον, ἐπίφθεγμα sed etiam παροιμία appellatus sit. Versum vero, qui Graece παροιμιακός nominaretur, inde nomen suum accepisse, quod eo versu plurima proverbia essent inclusa, Hephaestion VII, p. 46, auctor est.

Non aliter vocis παροιμία originem G. Curtius, Griech. Etymol. p. 399. 401 explicuit; neque W. Corssen eam improbat (über Aussp. Voc. u. Bet. d. lat. Sprache, I[2]90,

306,460.), qui vocem „adagium" eadem ex stirpe derivat. Non dubium est, quin haec sit recta etymologia.

Tum quaerendum est, quid sit proverbium et quae locutiones habendae sint proverbiales.

Jam Diogen. in praef. prov. vim proverbii sic definivit: ἐστὶ δὲ παροιμία τρόπος καὶ τῆς καλουμένης ἀλληγορίας· similiter Apostol. in praef. prov.: παροιμία ἐστὶ λόγος ἐπικαλύπτων τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ ἢ π. ἐστὶ διήγημα παροδικόν, ἢ ῥῆμα τετριμμένον τῇ χρήσει τῶν γε πολλῶν, ἀπό τε μικρῶν τινων καὶ ὀλίγων ἐφ' ὅμοια πλείω καὶ μείζω μεταληφθῆναι δυνάμενον. Etiam Tryphon, περὶ τρόπων, ed. Speng. III p. 191 proverbium in numero troporum posuit. Quae definitiones quamvis non sint falsae, tamen non satis idoneae mihi esse videntur. Neque facile vis proverbii paucis definiatur. Nam primum mea quidem opinione in numero proverbiorum ponendae sunt locutiones, quas vulgo „sententias" vocamus. Sententiae nihil aliud significant quam quod ex verbis ipsis intelligitur; quas ut numero proverbiorum attribuere possimus, necesse est, in certam formam esse redactas atque hac in forma saepius in scriptis veterum nobis occurrere. Quod proverbiorum genus non solum in Graeco sed etiam in nostro sermone pervulgatum est.

Alterius generis sunt metaphorae eaeque, quae tantopere in ore vulgi versatae sint, ut eas vulgares sive proverbiales appellemus; ad hoc genus Apostolii verba, quae supra attuli, pertinere videntur. Quid sit metaphora, vel si mavis translatio, Aristoteles περ. ποιητ. 21,4 his verbis docet: μεταφορὰ δέ ἐστιν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ τὸ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. Hujus generis sunt plurima proverbia, quae in Aristophanis comoediis inveniuntur.

Tertium denique quaedam locutiones addendae sunt, quae quamvis neque loco sententiarum neque metaphorarum sint habendae, tamen cum certa quadam forma sint adstrictae, vinculo quodam cum proverbiis connexae sunt et merito formulae dicendi appellantur.

His tribus generibus locutionum nomen proverbii esse attribuendum, meum est judicium. Erasmi definitio parum certa mihi est, qui in praef. Adag. dicit, proverbium esse locutionem vulgarem scita quadam novitate excelsam.

Quamvis sententias formulasque dicendi non difficile sit cognoscere, quippe quae in certam quandam formam sint redactae necesse sit, attamen dificillima est cognitio, utrum metaphora in ore vulgi versata sit necne. Vel si quis nostris temporibus de proverbiis suae ipsius linguae disputare velit, timendum est, ne nonnullus locutiones praetermittat; nam quis est, cui omnes per totum vulgus locutiones vulgatae notae sint? Quodsi hoc jam hodie in nostro sermone difficile est, quanto difficilius est locutiones agnoscere vulgares, quae circiter ante viginti tria saecula in ore vulgi Graeci versatae sint? Qua in re judicanda summi momenti nobis sunt, quae paroemiographi veteres de proverbiis disseruerunt, qui ex fontibus hauserunt, quos nos non jam adire possumus. Praeter paroemiographos summo adjumento nobis sunt quae veteres scholiastae scripserunt, qui Aristophanis quidem comoediis interpretandis summum studium et laborem impenderunt, neque omnino si qua locutio vulgaris eis occurrisset, eam notare et explicare omiserunt. Quos tamen non certissimos esse auctores silentio praeterire non possum; neque enim desunt locutiones, quas alius scholiastarum metaphoras tantum vocet, alius contra proverbia, ut infra videbimus. Nonnumquam factum est, ut locutio quam scholiastae loco proverbii habent, a paroemiographis neglecta sit; etiam locutiones occurrerunt mihi a paroemiographis notatae, praetermissae a scholiastis.

Nunc afferenda nonnulla sunt, quae sermonis Aristophanis propria sunt.

Sermoni Aristophanis, ut poetae comici, habitum quendam vulgarem inesse, nemini mirum esse potest; quapropter creberrimas locutiones vocesque invenimus, quae ex usu communis vitae petitae sunt. Atque cum locutiones infra tractandae sint, hoc loco voces perpaucis commemorabo.

Vulgarem reddunt sermonem Aristophanis cum voces

obscenae, tum eae, quae ad victum cultumque pertinent. Deinde allocutiones interjectionesque permultae in comoediis inveniuntur. Neque parvus est numerus invocationum deorum dearumqne, veluti πρὸς τῶν θεῶν, νὴ τοὺς θεούς, ὦ θεοί, ὦ Ζεῦ πάτερ καὶ θεοί, μὰ τοὺς δώδεκα θεούς, μὰ Δία, νὴ Δία, πρὸς τοῦ Διὸς τοὐλυμπίου, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, ὦ Ζεῦ πολυτίμητε — μὰ τὸν Ἀπόλλωνα, Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, ὠλεξίκακε — ὦ Πόσειδον, νὴ τὸν Ποσειδῶ τὸν ἵππιον — ναὶ τὸν Ἑρμᾶν — νὴ τὸν Διόνυσον — μὰ τὴν Δήμητρα — ὦναξ Ἡράκλεις — ὦ Κεβρίονα καὶ Πορφυρίων in av. 553 — νὴ τὸν Ἰόλαον in Ach. 868. Animadverti legens comoedias, quibusdam in occasionibus quosdam deos deasve imprimis invocari; de quo cf. schol. plut. 555. Operae pretium sit, huic rei studium operamque impendere majorem, quam mihi hoc loco licet.

Maxime autem sermonem Aristophanis vulgarem reddunt voces contumeliosae et exsecrationes, de quibus paucis disseruit Becker, Charicl. ed. Gött. I. p. 59. Mihi non nisi perpaucis eas attingere licet. Imprimis nomina de animalibus prompta loco vocum contumeliosarum sunt, veluti κόραξ pac. 1125. ψῆττα Lys. 115. κνώδαλον Lys. 476. ἀλώπηξ Thesm. 1133. κόκκυξ Ach. 598. πίθηκος av. 440. frgmt. 347. ὦ κέπφε plut. 912. κίναδος nub. 448. av. 430. ὄνος av. 1328 λάρος nub. 591. πρόβατον nub. 1203. σαμφόρας nub. 1298. ὦ δειλότατον σὺ θηρίον av. 87. Aliae sunt κέντρων nub. 450 ματτυολοιχός nub. 451. στρόφις nub. 450 καταπύγων Ach. 664. nub. 909. εὐρύπρωκτος nub. 1084. λακκόπρωκτος nub. 1330. χαυνόπρωκτος Ach. 104. ἀμφορῆς nub. 1203. γλοιός nub. 449. κρόταλον nub. 260. ζαμία Ach. 738. λίθος nub. 1202 μάσθλης nub. 449. equ. 269. ἀριθμός nub. 1203. κύρβις, τρύμη nub. 448 τύμβος Lys. 373. μαστιγίας Lys. 1240. ὦ φθίνυλλα eccles. 935. μόθων plut. 279 κόβαλος plut. 279 σορέλλη, frgmt. 1. κόπριος equ. 900. Quam crebrae interdum voces contumeliosae uno loco sint, qui cognoscere vult, legat versus pac. 181—4.

Inter exsecrationes usitatissima forma est οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ; equ. 892. 1151, quae mutata forma persaepe occurit: οὐκ ἐς κόρακας; vesp. 451. plut. 394. ran. 607. frgmt. 512 βάλλ' ἐς κόρακας vesp. 835 Thesm. 1079 plut. 782 frgmt. 80,

ἐς κόρακας vesp. 852. 892. pac. 19. 117. 1221. Scholiastes ad equ. 1151. hanc locutionem pro proverbio habuit, quae mea quidem sententia numero vocum exsecrandi attribuenda est.

Multae exsecrationes verbo ἀπόλλυσθαι formantur, veluti ἀπολέσειαν οἱ θεοί equ. 2. plut. 592. ἀπόλοιο pac. 1072. 1288. ἀπόλοιτο pac. 267. ὦ κάκιστ' ἀπολουμένη eccles. 1052. 1076. plut. 456. pac. 2. vel verbo διαῤῥήγνυσθαι, veluti διαῤῥαγείης equ. 339. eccles. 803. plut. 279. 892. vel φθείρεσθαι, ἐπιτρίβειν, οἰμώζειν, κλαίειν. Plura de exsecrationibus afferre possum, sed hoc loco jam satisfecisse mihi videor.

Proprium denique sermonis vulgaris est, quod fides veritatis in numeris commemorandis non servatur, sed nimio studio numeri augentur. cf. equ. 70. 185. 718. 828. 1153. vesp. 554. pac. 242. Lys. 355. 698 ran. 1129.

Praeterea Aristophanis sermonem habitu quodam vulgari afficiunt opiniones vulgares, quarum persaepe in comoediis mentio fit; velut opinio vulgaris ad tempestatem pertinens inest versibus vesp 262—3:

ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις αὐτοὶ μύκητες·
φιλεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα.

Praesertim de avibus multae opiniones vulgares ap. Aristoph. occurrunt, cf. av. 1136—7 (γέρανος), av. 713—4 (ἰκτῖνος), av. 507 (κόκκυξ), av. 715 (χελιδών), av. 609 (κορώνη), alias invenias in eccles. 791—3, ran. 195, eccles. 110—15.

Quibus rebus expositis illud tantum commemorabo, difficillimum esse ad judicandum, utrum locutio ab Aristophane demum formata sit, an jam antequam poeta eam usurpaverit in ore vulgi sit versata. Quod quam difficile sit, cognoscimus ex usu locutionum, quae verbo βλέπειν formatae sunt. Occurrunt eae persaepe, veluti βλέπειν νᾶπυ equ. 630. βλ. κάρδαμα vesp. 455. βλ. ὀρίγανον ran. 604. βλ. δεινόν ran 592. βλ. δριμύ ran. 562. βλ. ταυρηδόν ran. 804. βλ. θυμβροφάγανον Ach. 254 βλ. κλέπτον vesp. 900. Quae num a poëta nostro demum formatae sint, dubitari potest, cum similes locutiones proverbii locum obtinuisse veteres tradiderint, veluti βλέπειν ὑπότριμμα eccles. 291. ἐμβλέπειν ἔρημον, in frgmt. 393.

cf. Apost. 7,92 ὄμφακας βλέπειν in Append. prov. 4,21. βλέπειν Ἄρη in plut. 328, ubi schol: παροιμία ἐπὶ τῶν ὑπισχνουμένων παντὶ σθένει συμπράττειν καὶ συναίρεσθαι εἰς βοήθειαν. Aliae autem ejusdem generis locutiones ab Aristoph. formatae esse videntur, veluti βλέπειν ὀστρακίνδα in equ. 855. βλ. μανικόν καὶ τραγῳδικόν in plut. 424. βλ. ναύφρακτον in Ach. 95. πυῤῥίχην βλ. in av. 1169, ubi schol: ἐνόπλιον καὶ πολεμικόν.

Sed haec hactenus.

Priusquam rationem explicem, qua de proverbiis disputavi, duo viri commemorandi sunt, qui nonnulla docuerunt, quae ad rationem pertinent, qua de proverbiis disserendum sit. Alter eorum K. Zellius in commentario, qui inscribitur „über die Sprichwörter der alten Griechen" (Ferien-Schriften I, Freiburg 1836) eam fere rationem docuit, quam ego omnino secutus sum et infra declarabo.

Alter est Rohdewaldius, qui opusculum scripsit „de usu proverbiorum apud Aristophanem" (Progrm. des Gymn. zu Burgsteinfurt 1857), quo explicat, quomodo proverbia ab Aristophane adhibita sint. Duae imprimis partes dissertationis sunt, quarum in altera de proverbiis disputavit, quae in comoediis integra inveniuntur, in altera de iis, quae Aristophanes tecte significavit et quasi in transitu leviter tetigit. Quamquam summo studio docuit, quis sit usus proverbiorum, tamen ratio, quam est ingressus, omnino nondum comprobanda est. Tum demum, cum omnia ex omnibus scriptoribus proverbia collecta atque explicata habebimus, is gratum subibit laborem, qui explicabit, quomodo a singulis scriptoribus proverbia sint adhibita. Id vero in vitio ponendum est, quod R. neque scholiastarum neque paroemiographorum rationem satis habuit; qui cum in agnoscendis proverbiis auctores nobis sint, silentio non sunt praetereundi.

Cum igitur imprimis necesse sit, omnia ex omnibus scriptoribus proverbia colligere, sive scriptores integra ea adhibuerunt, sive tetigerunt tantum, Aristophanis comoediis tractandis operam dedi atque eam viam sum ingressus, ut

primum de sententiis dissererem, quae loco proverbiorum habendae sint, tum de metaphoris locutionibusque vulgaribus. Hac in parte non eam rationem secutus sum, ut primum de proverbiis, quae modo metaphoras proverbiales dixi, tum de locutionibus dissererem, sed eam, ut locutiones simul cum eis proverbiis tractarem, quae ex eodem fonte profecta sunt.

Itaque in altera parte primum de proverbiis locutionibusque disputabo, quae a natura quadrupedum, avium, plantarum deprompta sunt; secundum de eis, quae ex singularum gentium hominumque indole moribusque orta sunt; tertium iis operam dabo, quae e memoria rerum gestarum profecta sunt; quartum eis, quae ex historia fabulari originem duxerunt; quintum ea afferenda erunt, quae ab institutis quibusdam profecta sunt; sextum denique ea, quae a quotidianis hominum occupationibus artibusque quibusdam petita sunt; cui parti quaedam locutiones formulaeque dicendi addentur, quae omnino partibus, quas commemoravi, attribui non potuerunt. —

A.

De sententiis.

Perpaucas tantum sententias in Aristophanis comoediis reperiri, non est mirandum, quoniam omnino in comoedia, quae vitia moresque pravos populi castiget, non ea argumenta continentur, quae multis sententiis apte ornentur. Atque ne omnes quidem sententias pro proverbiis esse habendas, jam supra admonui, velut

in av. 375 ἀπ' ἐχθρῶν δῆτα πολλὰ μανθάνουσι οἱ σοφοί,
vel Thesm. 1130—31.

σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προςφέρων σοφὰ
μάτην ἀναλίσκοις ἄν.

Plura hujus generis sententiarum exempla afferre possum; sed jam ex his apparet, non omnes sententias in numero proverbiorum habendas esse, sed eas tantum, quae in certam formam sint redactae; cujus generis exempla quae in Aristophanis comoediis mihi occurrerunt, haec sunt.

Ad summam deorum potentiam pertinet sententia, quae est:

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις, quam poeta noster significavit in pac. 697—99

ΤΡ. ἐκ τοῦ Σοφοκλέους γίγνεται Σιμωνίδης
ΕΡ. Σιμωνίδης; πῶς; ΤΡ. ὅτι γέρων ὢν καὶ σαπρὸς
κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι.

Jussu deae Pacis interrogat Mercurius Trygaeum, quomodo Sophocles se habeat, et Mercurius ea respondet, quae illi versus continent. Simonidem quidem avidissimum pecuniae fuisse, notum est; sed Sophoclem quoque eadem cupiditate fuisse affectum, alio testimonio non affirmatur.

Aristophanem his verbis illud proverbium, quod supra nominavi, tetigisse, dicit scholiastes ad h. c. Quae proverbii vis sit, intelligitur ex schol. Lucian. Hermot. § 28. εἴρηται (sc. ἡ παροιμία) ἐπὶ τῶν πάνυ ἀπόρων καὶ θεῷ μόνῳ εἰς λύσιν ἐπιτρεπομένων. Quis auctor proverbii fuerit, utrum Pindarus, an Sophocles, variant veterum sententiae, quas videas in adnot. ad Mac. IV, 69. Similes sententias cf. ap. Theogn. 171—2, Pind. Pyth. X, 10.

Sed dubitari potest, num poeta noster istis verbis id proverbium tetigerit, quod scholiastes annotat, quia in schol. ad Eurip. Phoen. 395. haec verba leguntur: μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ παροιμία λέγουσα „κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις“ ἐπὶ τῶν εἰς κινδύνους κέρδους χάριν ἑαυτοὺς ῥιπτούντων λαμβανομένη. Fortasse igitur praeter illud proverbium et hoc exstitit; nisi forte existimamus, scholiastam Euripidis illum Aristophanis versum pro proverbio habuisse.

Quam sacrum Graecis consilium visum sit, ex eo proverbio intelligitur, quod in frgmt. 104 legitur, ubi ex scholiasta Platonis ad Theag. p. 383. ed. Bekker haec exscripta sunt: παροιμία „ἱερὸν συμβουλή“ ἐπὶ τῶν καθαρῶς συμβουλευόντων. — ἄλλοι δέ φασι ἔπαινον φέρειν τῆς συμβουλῆς τὴν παροιμίαν· εἶναι γὰρ αὐτὴν θείαν καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον· μέμνηται δ'αὐτῆς καὶ 'Α. ἐν 'Αμφιαράῳ. Quarum interpretationum primam probant Diogen. V. II, 92 et Albertus ad Hesych. s. v.,

sic proverbium explicans: „non de iis, qui consiliis pollent (i. e. τῶν δεινῶν συμβουλεύειν) dicitur, sed quid oporteat in consilio dando, quid observandum in primis sit, nempe ut καθαρῶς, pure, sancte, integre, vero animo detur; et hinc res sacra, ἱερόν, dicitur consilium, ex vero animo profectum, absque ullo privati commodi respectu." Alteram scholiastae Platonis interpretationem ineptam esse, apparet. cf. Xen. Anab. V. 6, 4.

Aequum et verum in jure dicendo exercendum esse, docet proverbium, quod in vesp. 725 legitur: ἦ που σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκεν, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, οὐκ ἂν δικάσαις, quem ad locum annotat scholiastes, proverbium sic esse legendum: μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Quid proverbium significet, ex verbis ipsis intelligitur. Similes locos Leutschius in adnott. ad Mant. Prov. II, 6*) attulit, quo loco eodem de auctore hujus proverbii disseruit. Neque tamen testimoniis veterum dijudicari potest, utrum Hesiodus, an Phocylides, an Democritus fuerit auctor.

Huc pertinet locutio, in qua de judicum diligentia accurate in quaestionibus habendis exercenda sermo est; poeta in vesp. 781—3 Bdelycleonem loquentem facit haec verba:

καὶ λέγεται γὰρ τουτογί
ὡς οἱ δικασταὶ ψευδομένων τῶν μαρτύρων
μόλις τὸ πρᾶγμα ἔγνωσαν ἀναμασώμενοι.

Locutione, quae his verbis inest, dicitur, judices quaerendo et requirendo, quamvis testes falsum dixerint, tamen verum reperire. Quanquam neque scholiastae neque paroemiographi eam locutionem numero proverbiorum adtribuerunt, tamen mihi quidem non dubium est, quin ea proverbii locum obtinuerit. Quid enim certius testimonium esse potest, eam fuisse proverbialem, quam illud quod Aristophanes ipse verbis καὶ λέγεται γὰρ τουτογί proverbialem usum testa-

*) Omnes notae, quae ad paroemiographos pertinent, ad corp. paroem. ed. a **Leutsch.** et **Schneidewin.** referendae sunt.

tur? Qua re docemur, scholiastas et paroemiographos non omnes locutiones notasse; quapropter caveamus, ne eas tantum locutiones loco proverbii habeamus, quas scholiastae paroemiographique notaverunt; sed si qua locutio proverbii speciem praebeat, etsi testimonia veterum deficiant, ne dubitemus, certe tamen eam commemorare.

In rebus hominum divitias maximi esse momenti, veluti nervos rerum omnium, Graeci hoc proverbio elocuti sunt: ὄκ' ἀργύριον ᾖ, πάντα θεῖ κἀλαύνεται, cujus poeta mentionem facit in eccles. 105—9:

τούτου γε τοίνυν τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν
τόλμημα τολμῶμεν τοσοῦτον οὕνεκα,
ἤν πως παραλαβεῖν τῆς πόλεως τὰ πράγματα
δυνώμεθ', ὥστ' ἀγαθόν τι πρᾶξαι τὴν πόλιν·
νῦν μὲν γὰρ οὔτε θέομεν οὔτ' ἐλαύνομεν.

Sic loquuntur mulieres, quae rerum potiturae sunt, querentes, usque ad id tempus se in summis miseriis esse versatas; quod illo proverbio eloquuntur. Doricam formam conjunctionis ὄκα restituit Bentleius pro ὅ κ' ἀργύριον librorum; Atticam legimus in epist. Aristen. 1, 14 (cf. adnott. ad Apost. 12, 56): ἀλλ' ἐὰν ἀργύριον κ. τ. λ. Similiter Petronius satir. 137:

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.

Vel in amicitiis conciliandis homines persaepe divitiarum tantum rationem habere, Graecos non effugit, ut est in proverbio:

μή μοι τότ' ἔλθῃς, ὅταν ἐγὼ πράττω καλῶς· cujus Aristophanes meminit in av. 134, ridicule καλῶς in κακῶς mutato, quem locum scholiastes sic explicat: παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ συνερχομένων τοῖς φίλοις ἐν κινδύνοις· παίζει δὲ ἐς τὸ ἐναντίον. Miror quod a paroemiographis hoc proverbium non annotatum est. Bene Erasmus Adag. p. 84 nos admonet, similem sententiam contineri in ran. 537

μετακυλίνδειν αὑτὸν ἀεί
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τεῦχον,

qua de locutione infra disseram, et in plut. 258:

βάλλ' ἐς κόρακας· ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι
οἱ φαινόμενοι παραχρῆμα, ὅτ' ἂν πράττῃ τις εὖ.

Similes sententiae occurrunt ap. Theogn. 643—4, 697—8, 857—61. Eadem sententia et apud Romanos in proverbio erat: Donec eris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Homines omnino esse malos eamque ob causam nobis cavendum esse, ne malitia hominum damnum capiamus, admonet proverbium, quod est ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος καθεύδει. In Thesm. 520—28 mulieres iracundiam reprimere non possunt, quod Mnesilochus, veste muliebri indutus, Euripidis causam defendit atque mulieribus maledicit; cui indignationi postremo haec verba addunt;

τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ
τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
παντί που χρὴ
μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν.

Aristophanem iterum tetigisse tantum proverbium, et voce λίθῳ pnycis suggestum intelligendum esse, recte annotavit Burgesius, quem Fritzschius et Engerus sequuntur. Natum est proverbium ex scolio Praxillae, ut scholiastes refert: ἐκ τῶν εἰς Πράξιλλαν ἀναφερομένων „ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίον ὦ 'ταῖρε φυλάσσεο". Cf. Athen. XV, p. 695 D. Zell, Ferien-Schriften I. p. 76. Recte Rohdewaldius l. c. admonuit, proverbium, cum multus ejus usus fuisset, in breviorem formam esse contractum. Quam ob rem legimus apud scholiastam Aristoph. πάντα λίθον κίνει, qui tamen quod addit verba καὶ ἑτέρα (sc. παροιμία) censet hoc esse aliud proverbium. Unde proverbium originem duxerit, plane explicatum apud Erasm. p. 115 legimus: „constat autem, scorpios solere sub saxis cubitare; quae si quis tollat incautius, fit ut ictus vulnus accipiat." Quid significet proverbium, explicuerunt Zenob. VI, 20 ἐπὶ τῶν κακοήθων καὶ ἐριστικῶν et Diog. VIII, 59 et Mac. VIII, 69 ἐπὶ πολυπληθίᾳ τῶν πανταχοῦ ὄντων πονηρῶν ἀνθρώπων. Proverbio πάντα λίθον κίνει non prorsus eandem, sed cognatam tantum vim esse sub-

jectam, recte Mac. VII,4 docet, hanc explicationem praebens: ἐπὶ τῶν πάσῃ χρωμένων προθυμίᾳ. Quodsi idem paroemiographus verba πάντα λίθον καὶ πάντα κάλων κίνει pro uno proverbio habet, in errore versari mihi videtur; nam illa verba duo proverbia continent, quae sunt πάντα λίθον κίνει et πάντα κάλων κίνει, de quo infra suo loco plura afferam.

Facultates atque artes hominum non omnis generis esse posse, sed cuique certos fines terminosque agendi sibi constituendos esse, extra quos egredi non debeat, docet proverbium ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, vesp. 1431. Significatio hujus sententiae non latet. Latine eandem reddidit Cic. Tusc. qu. I, 18, 41: „bene enim illud Graecorum proverbio praecipitur „quam quisque norit artem, in hac se exerceat". Simile est proverbium, quod Mac. VIII, 39 praebet: τὸν φροῦρον χρὴ φρουρεῖν, τὸν ἐρῶντα δ' ἐρᾶν, et Plin. h. n. 35,10: ne sutor ultra crepidam. Apud nos „Schuster bleib' bei deinem Leisten." Similes sententiae occurrunt in Iliad. 13,725—35, ap. Theogn. 901,2. Verg. Eclog. 8,63. Liv. 22,51. cf. adnott. ad Mac. VIII, 39. Erasm. p. 158 a.

Quantopere Graeci senectutem ut molestam ineptamque contempserint, cum aliis locis, veluti Aesch. Agam. 75: ἰσχὺν ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις, et Soph. Oed. Col. 1230—38 et Mimn. ap. Bergk. poet. lyr. gr. 1, tum proverbio docemur, quod est δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Explicatur sententia a Diog. 4,18 et a Suid. s. v.: ἐπὶ τῶν ἀπὸ τοῦ γέρως εὐηθεστέρων. In schol. Arist. multi ex aliis scriptoribus loci annotati sunt, qui eandem continent sententiam, ut Soph. frgmt. 434: πάλιν γὰρ αὖθις παῖς ὁ γηράσκων ἀνήρ. Soph. frgmt. 500. πάντ' ἐμπέφυκε τῷ μακρῷ γήρᾳ κακά, νοῦς φροῦδος, ἔργ' ἀχρεῖα, φροντίδες κακαί. Eurip. Phoen. 3. ὦ γῆρας, οἷον τοῖς ἔχουσιν εἶ κακόν. Cratin. 35. ἦ ἄρ' ἀληθὴς ὁ λόγος, δὶς παῖς γέρων. Com. Theop. 69: δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ. Plato: ἄρ' ὡς ἔοικε δὶς γένοιτ' ἂν παῖς γέρων. Antiph.: γηροτροφία γὰρ προςέοικε παιδοτροφίᾳ. Recte Rohdew. l. c. dicit: „nec discrepat Plaut. Merc. II, 2,24: senex quom extemplo jam nec sentit nec sapit, ajunt solere eum rusum

repuerascere.“ Idem ad hanc sententiam exemplis illustrandam praeclare nos admonet, ut meminerimus Strepsiadis, Philonidis, Philocleonis, senum morosorum ineptorumque in Aristophanis comoediis. Neque solum illa sententia senectutem ut molestam castigat, sed etiam voces, quae sunt τυφογέρων in nub. 908. Lys. 335, de qua plura videas ap. Eustath. ad Hom. Od. B, 39 et τυμβογέρων in Lys. 372. 600. vesp. 1365 (ὦ τύμβε), cui est similis Plaut. mil. glor. III 133: capularis.

Item male audiebat apud antiquos poetas mulierum genus, veluti in Lys. 1038 legimus:

κἄστ' ἐκεῖνο τοὔπος ὀρθῶς κοὐ κακῶς εἰρημένον,
οὔτε σὺν πανωλέθροισιν, οὔτ' ἄνευ πανωλέθρων·

ubi scilicet per ellipsin omissum est ζῆν δυνατόν ἐστιν. In scholiis h. l. aliud ejusdem generis proverbium legitur: ἐν παροιμίᾳ τοῦτο ἔλεγον:

κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

Quorum versuum auctor Susarion est. cf. Meinek. frgmt. com. II, p. 3.

Cum divitiis ignaviam esse conjunctam, veteres proverbio elocuti sunt, quod est δειλὸν ὁ πλοῦτος. Occurrit ea locutio in plut. 203:

νὴ τὸν Δί', ἀλλὰ καὶ λέγουσι πάντες ὡς
δειλότατον ἐσθ' ὁ Πλοῦτος.

et ap. Eurip. in Phoen. 597 δειλὸν ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν et in frgmt. Eurip. 237 (ed. Dind.): πλουτεῖς; ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία δειλόν θ' ἅμα. cf. Zenob. III, 35: παρόσον οἱ πλούσιοι τὰς οἰκίας ἀσφαλίζονται καὶ κύνας τρέφουσι καὶ πολλὰς ἑαυτῶν φυλακὰς ποιοῦνται.

Valde discrepat ab eis, quae Graeci vulgo de patria sentiebant, proverbium, quod est in plut. 1151:

πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.

Eloquitur eam sententiam Mercurius, qui ex quo deus Πλοῦτος caecitate liberatus est eamque ob causam homines

deis sacra facere desierunt, coelo relicto in domum Chremyli profectus cibos petit. Apparet, hanc sententiam ab Aristophane, patriae amantissimo, comprobatam non fuisse. Orta enim est ea a sophistis illius temporis. Attinet ad hoc, quod Erasmus p. 331 dicit: „unde et Socrates rogatus, cujatis esset, κοσμικός, i. e. mundanum se esse respondit.“ Euripidem quidem eam sententiam persaepe libenterque usurpasse, docent loci, veluti Phaeth. frgmt. 774 ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ et multi alii. Poetam nostrum illam sententiam eam ob causam dixisse, ut exteris rebus faventes castigaret, Thierschius et Hemsterhusius docuerunt; qui idem annotat, illis verbis Aristophanem locum Euripidis quendam designasse. Ex fabula deprompta esse videntur, quae Zenob. V, 74 refert: πᾶσα γῆ πατρίς· τοῦτο μέρος ἐστὶ χρησμοῦ, ὃν ἀνεῖλεν ὁ θεὸς Μελεῷ τῷ Πελαργῷ περὶ οἰκήσεως μαντευομένῳ. Nostro proverbio similis est locutio quae occurrit in Men. sentent. monost. ap. Boiss. Anecd. I, 129: τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς. Cic. Tusc. qu. 5,37: patria est, ubicunque est bene. Ovid. fast. 1,493: Omne solum forti patria est.

Hae sunt sententiae, quae Aristophanis comoedias legenti mihi occurrerunt.

B.

De proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis.

I. De proverbiis locutionibusque, quae a quadrupedum, avium, plantarum natura sumpta sunt.

Nunc accedam ad proverbia, quae a natura animalium profecta quodam modo metaphorae proverbiales appellanda sunt. Bene explicat Rohdew. l. c., hujus generis proverbia praecipue ad orationis perspicuitatem pertinere; nam etsi aliud dicatur, aliud intelligendum sit, tamen facillime ab omnibus perspici proverbia, cum in tota re similitudo ver-

setur. Ac primum ea proverbia tractabo, quae a singulari quadrupedum natura deprompta sunt.

Ab echini aspera pelle spinisque sumptum est proverbium: οὐδέποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τρηχὺν ἐχῖνον, quo in pac. 1086 Hierocles usus significat, inter Athenienses et Lacedaemonios amicitiam numquam conciliari posse. Iterum legitur proverbium in pac. 1114.

Paroemiographi id omiserunt; Diogenianus tantum in VII, 61 simile affert: πρίν κε δύο ἐχῖνοι εἰς φιλίαν ἔλθητον, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δ' ἐκ χέρσου: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀνομοίων. Neque Erasmus nostrum vidit, qui etsi in p. 131. 380. 381 compluria de echino sumpta proverbia tractaverit, tamen nostrum neglexit. Vis proverbii non alia est quam ejus, quod Diogenianus notavit.

Idem significat proverbium, quod est in pac. 2083 οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκῖνον ὀρθὰ βαδίζειν sumptum a cancri consuetudine retro eundi. Significavit iterum poeta odium implacabile Atheniensium et Lacedaemoniorum. Recte annotat Apost. IX, 50: καρκῖνος ὀρθὰ βαδίζειν οὐ μεμάθηκεν: ἐπὶ τῶν ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων περί τι φαῦλον. Huc quoque pertinet proverbium quod in pac. 1075. 76 legimus:

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστι φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ

cui eadem vis subjecta est atque illis. Quodsi scholiastes annotat, nostrum proverbium profectum esse ex Hom. Il. XXI, 261, hoc mihi verisimile non est. cf. Apost. 14,96. Erasm. p. 623 („inter quos insanabile discidium"). Iterum legitur proverbium in pac. 1112—13, ubi Trygaeus Hieroclem sacerdotem petentem, ut aliquid carnis victimae sibi detur, repellit negatque, hoc ullo pacto fieri posse; quod his verbis dictum est: οὐ γὰρ οἷόν τε ἡμῖν προςδιδόναι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. Admonendum est, proverbia locutionesque hujus generis apud Graecos Romanosque valde usitata fuisse, cf. Hor. epod. 16,25—34.

A rapaci lupi natura sumptum est λύκος ἔχανεν in Arist. frgmt. 319 ex Phot. p. 235,6 et Suida, ubi haec interpretatio: λέγουσι τὸν λύκον, ἐπειδὰν ἁρπάσαι τι βούληται,

κεχηνότα παραγίγνεσθαι ἐπ' αὐτό· ὅταν οὖν μὴ λάβῃ, ὃ προαιρεῖται, κατὰ κενοῦ αὐτὸν χανεῖν φασιν. ἐπὶ οὖν τῶν συνελπιζομένων χρηματιεῖσθαι, διαμαρτανόντων δὲ λέγουσι 'Α. Θεσμοφοριαζούσαις β'. Similem interpretationem videas ap. Diog. VI, 20. Cum de iis, qui frustra aliquid adipisci conantur, locutio dicatur, a Greg. Cypr. M. IV, 15 et Apost. X, 85 addita est vox μάτην: λύκος μάτην χανών: ἐπὶ τῶν μάτην ποιούτων. In adnott. ad Greg. C. M. IV, 15 Leutschius annotat, proverbium ortum esse ex fabula; cf. Babrii fabb. 16.

Usus est Aristophanes hoc proverbio in Lys. 629:

ἀνδράσιν Λακωνικοῖς,
οἷσι πιστὸν οὐδὲν εἰ μή περ λύκῳ κεχηνότι.

Ad rapacem lupi naturam illustrandam cf. nub. 351,2 ubi postquam Strepsiades rogavit, quam formam nubes accepturae sint, si Simonem furem aspexerint: τί δ' ἄρ', ἢν ἅρπαγα τῶν δημοσίων κατίδωσι Σίμωνα, τί δρῶσιν (sc. αἱ νεφέλαι), Socrates respondet: ἀποφαίνουσαι τὴν φύσιν αὐτοῦ λύκοι ἐξαίφνης ἐγένοντο. cf. Erasm. p. 185. 351.

Proverbii speciem locutioni inesse puto, quae in av. 369 legitur: φεισόμεσθα γάρ τι τῶνδε μᾶλλον ἡμεῖς ἢ λύκων; Dicuntur ea verba ab avibus, aggressuris Euelpidem et Peithetaerum. Orta est locutio hac ex re: Solon enim quod multi lupi illo tempore in Attica vagabantur, praemium proposuerat, si quis lupum interfecisset, ut Plut. Sol. 23 narrat: λύκον δὲ τῷ κομίσαντι πέντε δραχμὰς ἔδωκε, λυκιδέα δὲ μίαν. Quodsi scholiastes Arist. τάλαντον et δύο τάλαντα praemium tradit, falsum ineptumque id est. Nec tamen pro certo affirmaverim, locutionem φείδεσθαί τινος μὴ μᾶλλον ἢ λύκου vulgarem fuisse, dictitatam de eis, quibus nequaquam esset temperandum, quoniam veterum testimonia desunt.

Melius res se habet in equ. 1029, ubi haec verba leguntur:

φράζευ, 'Ερεχθείδη, κύνα Κέρβερον ἀνδραποδιστήν,
ὃς κέρκῳ σαίνων σ', ὁπόταν δειπνῇς, ἐπιτηρῶν
ἐξέδεταί σοι τοὔψον, ὅταν σύ που ἄλλοσε χάσκῃς.

quibus verbis poetam proverbium quod sit: σαίνεις δάκ-

νοῦσα καὶ κύων λαίθαργος εἶ, tetigisse, scholiastes refert, praebens hanc interpretationem: ἐπὶ τῶν ὑποκρινομένων δῆθεν εὐνοεῖν, ἐπιβουλευόντων δὲ λάθρα. Pertinent ea verba ad Cleonem, qui populo verbis quidem blandiatur, sed quotiescunque occasio data sit, eum compilet. Quanquam paroemiographi hoc proverbium non annotaverunt, tamen scholiastes hac in re auctor mihi videtur satis dignus, cui fides habeatur, eam locutionem esse vulgarem, dictam de eis, qui humili ratione alicui blandiantur, at clam eundem compilent; praesertim cum in equ. 1069 poeta iterum ad idem spectaverit proverbium, ut scholiastes annotavit. Affirmatur scholiastae sententia eo quod voce canis veteres omnino id significabant, quod humile sordidumque esse videbatur, ut in Lys. 362:

καὶ μὴν ἰδοὺ παταξάτω τις· στᾶσ' ἐγὼ παρέξω
κοὐ μή ποτ' ἄλλη σου κύων τῶν ὄρχεων λάβηται.

Sententiam horum verborum obscenorum, quae mulieres ad maritos conversae eloquuntur, verbis me explicare, decorum vetat. Satis mihi esto, si comprehenderis, voce κύων humile aliquid significari, quod idem ex voce κυνοείδης vel κυνώδης intelligitur.

In obscena comparatione versatur in Lys. 157,8 totus jocus, ubi postquam Callinice rogavit: τί δ', ἢν ἀφίωσ' ἄνδρες ἡμᾶς, ὦ μέλε; Lysistrate respondet: τὸ τοῦ Φερεκράτους, κύνα δέρειν δεδαρμένην· quae verba scholiastes sic est interpretatus: ἐὰν ἡμᾶς παραδίδωσιν οἱ ἄνδρες, τότε πάλιν ἐξέσται ὀλίσβοις χρήσασθαι, καὶ ἀποδέρειν τὰ ἀποδεδαρμένα σκύτη. Φερεκράτης ἐν δράματι εἶπε τοῦτο, ἔνθεν τάσσεται ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἄλλο πασχόντων ἐφ' οἷς πεπόνθασιν. σχῆμά ἐστιν ἀκολαστικὸν εἰς τὸ αἰδοῖον. Haec verba praebent omnia, quae ad versum istum explicandum opus sunt. De proverbii sententia pauca tantum dicenda sunt. Ex hoc poetae nostri loco nihil repeti potest, quod vim proverbii explicet, cum Aristophanes obscenam tantum comparationem praebeat; recte autem interpretati sunt proverbium Diog. V, 85 et Suid. s. v: ἐπὶ τῶν μάτην τι ποιούντων. Aristophanes igitur propriam verborum significationem obscene adhibet, in proverbio autem

vis translata continetur, cum proverbium de eis dicatur, qui frustra aliquid agunt.

Vel proverbio ipsi significatio obscena inest in eccles. 255, ubi mulierum una rogata, quid factura sit, si male a Neoclide sibi dicatur τί δ', ἢν Νεοκλείδης, ὁ γλάμων σε λοιδορῇ, haec respondet: τούτῳ μὲν εἶπον ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν, ubi schol. παροιμία παιδικὴ ἐπὶ τῶν ὀφθαλμιώντων, εἰς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν καὶ τριῶν ἀλωπέκων. Haec igitur jocosa locutio de lippis in usu erat, qui si in podicem canis triumque vulpium inspexissent, futurum esse, ut ab oculorum morbo liberarentur. cf. Apost. VI, 84. App. II., 25. Tetigit hoc proverbium Aristophanes in Ach. 862—63:

ὑμὲς δ', ὅσοι Θείβαθεν αὐληταὶ πάρα,
τοῖς ἀστίνοις φυσῆτε πὸν πρωκτὸν κυνός,

ubi schol.: τὸν δὲ πρωκτὸν κυνὸς κομμάτιόν ἐστιν ἀπὸ παροιμίας, ἣν τοῖς ὀφθαλμιῶσιν ἔλεγον, ἐς πρωκτὸν κυνὸς βλέπε. Obsceniora haec sunt, quam ut plura verba faciam, ut Erasm. p. 316, decore dicit: „has profecto nugas pigeret adscribere, ni propositum esset, operi suscepto per omnia satis facere.“

Quodsi in frgmt. 601 (cf. Phrynich. Bekk. p. 31,27) legimus γαλῆν καταπέπωκεν· 'Α. ἐπί τινος νέου μὴ δυναμένου φθέγξασθαι· χρήσαιο δ'ἂν καὶ αὐτὸς ἐπὶ παντὸς (τοῦ μὴ addit Bekkerus) φθεγγομένου, non dubium mihi est, quin haec locutio fuerit vulgaris; nam etsi non aperte dictum est, eam esse proverbialem, tamen ex ratione interpretandi, quae per verba ἐπί τινος. κ. τ. ἑ. fit, intelligimus, locutionem vulgarem a Phrynicho habitam esse. Unde proverbium originem duxerit, a Phrynicho non est traditum; neque aliunde exquirere potui. Paroemiographi enim nostram quidem locutionem non notaverunt, sed aliam similem praebent, quae est γαλῆν ἔχεις· ap. Diog. III, 84: ἐπὶ τῶν ἀποτευκτικῶν· παρόσον οἱ γαλῆν ἔχοντες οὐκ εὐτυχοῦσι, nam mustela inter animalia inauspicata et infausta refertur, cf. Aelian. περ. ζώων ἰδ. XV, II. Sed ex hoc proverbio nihil repeti posse ad explicandum illud, quis est qui non intellegat? Quare origo locutionis nostrae obscura manet.

Quamvis ad plut. 691,3:

ἡ δ' εὐθέως τὴν χεῖρα πάλιν ἀνέσπασε·
κατέκειτο δ' αὐτὴν ἐντυλίξασ' ἡσυχῇ,
ὑπὸ τοῦ δέους βδέουσα δριμύτερον γαλῆς

quae verba Carion servus de anu aegra et in templo a deo sanari cupiente dicit, scholiastes, qui verba ἡ γὰρ γαλῆ δριμύτατον ἀφίησι τὸ πνεῦμα addit, non annotaverit, locutionem fuisse vulgarem, tamen ea hoc loco praetereunda mihi non erat, cum mihi quidem non sit dubium, quin ea in ore vulgi versata sit; ut nobisquoque similis locutio est, quae per vocem „Iltis" formatur.

De asini edacitate sermo est in proverbio, quo Arist. in vesp. 1309—10 usus est:

ἔοικας ὦ πρεσβῦτα νεοπλούτῳ τρυγί
κλητῆρι τ' εἰς ἀχυρμὸν ἀποδεδρακότι,

quibus verbis Lysistratus in convivio Philocleonem ludificatur, qui ebrius nugas agit. Priusquam de proverbio disseram, non omittendum mihi est paucis commemorare, voce κλητήρ non solum praeconem, sed etiam asinum intelligi, ut in vesp. 189; hoc autem loco utramque significationem esse subjectam et ad Philocleonem pertinere. Utrum ἀχυρμὸν an ἄχυρον an ἀχυρῶνα legendum sit, variant sententiae; codices R et V praebent ἄχυρον, et ut videtur, scholiastes, qui ἄχυρον ex Platone et Eupolide commemorat; ceteri ἀχυρῶνα praebent; rejicitur autem ἀχυρών a Phrynicho in Bekk. An. p. 7,21. Dindorfius scripsit ἀχυρμόν, de quo plura videas in Annot. Oxon. p. 256.

Quod ad proverbium ipsum attinet, scholiastes haec refert: ὄνος εἰς ἀχυρῶνα ἀπέδρα, quod sic explicatur ab Apost. XII, 78: ἐπὶ τῶν παρ' ἐλπίδας εἰς ἀγαθά ἐμπιπτόντων καὶ τούτοις ἀπολαυστικῶς χρωμένων, vel in not. ad. Diog. VI, 91: ἐπὶ τῶν ἀδηφάγων. Cf. Suid. s. v. Erasm. p. 396.

Cum Atheniensibus mos esset, ut ea, quae ad peragenda sacra Eleusinia opus erant, asinis imposita deportarent — qua in re auxilio servorum uti non fas erat, ne quid rerum sacrarum proderetur — inde proverbium pro-

fectum est: ὄνος ἄγων μυστήρια, quo in ran. 159 νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγων μυστήρια, Xanthias servus utitur, comes Bacchi ad inferos euntis. Scholiastes hanc interpretationem praebet: τοῖς μυστηρίοις ἐξ ἄστεως εἰς Ἐλευσῖνα διὰ τῶν ὄνων φέρουσι τὰ εἰς τὴν χρείαν· ὅθεν ἡ παροιμία, διὰ τὸ κακοπαθεῖν μάλιστα τοὺς ὄνους ἀχθοφοροῦντας· ὡς ἂν οὖν ὅμοιόν τι πάσχων (sc. Xanthias) διὰ τὸ πιέζεσθαι τῷ ἐπικειμένῳ ἄχθει τὴν παροιμίαν μίγνυσιν. Eadem verba refert Apost. XII, 75. Quid proverbium significet, recte docent Diog. VII, 98 et Mac. VI, 34: ἐπὶ τῶν ἑτέροις κακοπαθούντων καὶ εὐφροσύνην παρεχόντων. Erasmus p. 309 duas interpretationes praebet, quarum altera huc pertinet, quae est: „quadrat in eos, quorum opera aliis dumtaxat est usui, cum ad ipsos praeter molestiam nihil interim redeat." Unde altera, quae est „in eum dicebatur, qui praeter dignitatem in munere quopiam versabatur; veluti si quis ignarus literarum bibliothecae profectus esset" petita sit, Erasmus non refert; nec tamen ex antiquo scriptore hausta esse videtur.

Quia asinus non lanatus est, jocosa est locutio εἰς ὄνου πόκας, quam in ran. 186 Charon Bacchum ad inferos trajecturus usurpat. Recte scholiastes eam explicat per: τὸ ἀδύνατον τῶν καθ' Ἅιδου δηλοῖ· ἀδύνατον γὰρ πόκας ἀποκείρασθαι τῶν ὄνων..... ἡ δὲ παροιμία λέγεται ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων. Aliam formam legimus ap. Zenob. V, 38 ὄνου πόκους ζητεῖς et ὄνον κείρεις: ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων ἐπιχειρούντων. Inepta est interpretatio, quae praeter rectam, quae ibidem legitur, ap. Mac. III. 56 et in App. prov. II, 29 invenitur: οἱ δὲ ἐπὶ κατάρας τοῦτο λέγουσιν· ἤτοι ἄπιθι εἰς ὄνου πόκους, ἤγουν ἔνθα οἱ ὄνοι σήπονται καὶ τὰ αὐτῶν ἔρια ὡς πόκοι γίγνονται. Similes sunt locutiones χύτραν ποικίλλεις et κόπρον ἀναθυμιᾷς, a scholiasta annotatae, et ξυρεῖν λέοντα et ἀσκὸν δέρειν ab Eustath. ad Il. 5,137.

Facete de hominibus stultis dicitur τί δῆτα ληρεῖς ὥσπερ ἀπ' ὄνου καταπεσών in nub. 1273, ubi schol: ἐπὶ τῶν ἀλόγως πραττόντων ἡ παροιμία καὶ μὴ δυναμένων ὄνοις χρήσασθαι μή τέ γε δὴ ἵπποις. Asinum enim vulgo segniter atque tute incedere nec facile quemquam nisi prorsus inha-

bilem aut imprudentem ab asino decidere, recte jam Rohdew. l. c. admonuit, sic interpretans locutionem: „quapropter facete de hominibus dicitur admodum imperitis adeoque ingenio obtuso, ut in quavis re facillima et expedita offendant corruantque.“ Cf. Erasm. p. 189.

Usurpavit locutionem etiam Plato de legg. III. 701. c. (cf. adnot. ad Zenob. II, 57). Eadem significatio subjecta est locutionibus, quae sunt in vesp. 1370: τί ταῦτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπὸ τύμβου πεσών, et ἀπὸ χθονὸς πεσών apud Eupolin; quae emendatio acuta et probabilis pro corrupto χθοός librorum Schneidewino debetur. cf. Meineke frgmt. com. II, 571.

Ut nos animalium omnium callidissimum putamus vulpem, ita etiam Graecos non effugit vulpis calliditas; quod docent loci, qui sunt ap. Solon. 11,6 (cf. Bergk, poet. lyr. gr.) et ap. Aristoph. in pac. 1067. equ. 1069:

> Αἰγείδη, φράσσαι κυναλώπεκα, μή σε δολώσῃ
> λαίθαργον, ταχύπουν, δολίαν κερδώ, πολύϊδριν,

ubi schol: πολύϊδριν δὲ, ὅτι πολύπειροι αἱ ἀλώπεκες, καὶ παροιμία: πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα. Vim proverbii breviter tantum exposuit Zenob. V, 68: ἐπὶ τῶν πανουργοτάτων. Accuratius Erasm. p. 131 de eodem disseruit; dici enim id in astutos vel potius, ubi significare velimus, quosdam unica astutia plus efficere, quam alios multis artibus; nam vulpem multimodis se tueri, a venatoribus tamen haud raro capi; echinum autem, quem Erasmus erinaceum esse putat, unica dumtaxat arte tutum esse a canum morsibus, ut nulla ex parte morsu apprehendi possit. Quae sit ratio, qua erinaceus se tueatur, docemur ab Jone tragico. Cf. Zen. l. c. Nec tamen Aristophanes locis, quos attuli, proverbium de vulpe vulgatum significare voluisse mihi videtur.

Voce χοῖρος apud Graecos stultus homo significabatur, cui voci apud nos vis sordidi subjecta est; exemplum est in plut. 308, 315: ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι, ubi schol: παροιμία ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων λεγομένη. De suis aviditate antem sumptam esse locutionem, tradunt Mac. IV, 6 et App. V, 79: ἐπὶ τῶν κολακευτικῶς τισιν ἑπομένων τροφῆς ἕνεκα.

Etiam usus vocis, quae est λεπάς, cochlea, alius apud Graecos, alius apud nos est; nobis enim dicentibus „so langsam wie eine Schnecke gehen," Graecis erat locutio, quam in vesp. 104,5 legimus: κἄπειτ' ἐκεῖσ' ἐλθὼν προκαθεύδει πρῴ πάνυ ὥσπερ λεπὰς προςισχόμενος τῷ κίονι.

Pertinent ea verba ad irridendam nimiam Philocleonis cupiditatem in judicium adeundi. Aliud exemplum est in plut. 1095:

ὡς εὐτόνως, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ γρᾴδιον
ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προςίσχεται,

quae verba ad anum pertinent, quae adulescentem amat. Ex multis scholiastarum ad h. l. adnotationibus haec tantum afferre libet: λεπάς ἐστιν εἶδος ὀστρέου ὅπερ λαβόμενον πέτρας ἀπισχυρίζεται καὶ δυςαποσπάστως ἔχει· καὶ

„οὐκ ἄν τις αὐτὸ ῥᾳδίως ἀποσπάσαι
πρὶν ἄν τι τῆς πέτρας ἀποῤῥήξῃ μέρος",

quos versus unde petiverit, non refert scholiastes.

Scholiastas iterum proverbium effugisse, docet locus qui est in ran. 191:

δοῦλον οὐκ ἄγω
εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν,

quae Charon dicit recusans quominus servum Bacchi trajecturus sit, nisi ille proelio interfuerit, quod de carnibus commissum sit. Quam ad rem ea verba spectent et quid significent, intellexerunt quidem scholiastae, sed effugit eos, unde profecta sint. Tetigit enim poeta proelium navale, quod apud Arginusas insulas commissum est. Illo tempore Athenienses, cum manus opesque eorum valde deminutae essent, constituerunt, ut quilibet servorum pugnae interfuturus ac fortem se praestiturus esset, futurum esset, ut manumitteretur. Haec de re gesta dicenda sunt, ad quam ille versus spectat. Nunc videamus, quomodo verba περὶ τῶν κρεῶν intelligenda sint. Quodsi schol. cod. V. refert: ἦσαν γὰρ οἱ δοῦλοι τότε ναυμαχήσαντες, περὶ οὐδενὸς ἄλλου ἢ περὶ τῶν ἰδίων κρεῶν, τουτέστι σωμάτων, vel schol. cod. R περὶ τῆς ψυχῆς τῆς ἑαυτῶν, falsa prorsus haec interpretatio

non est, sed tum demum in omnes partes locutionem intellexeris, si unde orta sit cognoveris. Cum origo locutionis ignota esset, factum est, ut non solum scholiastarum unus vocem κρεῶν per νεκρῶν interpretaretur, sed etiam recentiores codices lectionem νεκρῶν pro κρεῶν reciperent. Nam cum post proelium commissum homines mortui non sepulti essent, scholiastes illa verba sic interpretatus est: δοῦλον οὐκ ἄγω, εἰ μὴ ἀνῄρηται τοὺς ἐκ τῆς θαλάσσης νεκρούς. Quae interpretatio falsa ineptaque est. Petita enim sunt verba περὶ τῶν κρεῶν ex proverbio, quod est ὁ λαγὼς τὸν περὶ τῶν κρεῶν τρέχει, de quo disputavit Zenob. IV, 85. Notum est, leporem animal esse timidissimum. Originem duxit proverbium a venando: recte enim dicunt, leporem pro carnibus currere, canibus insectantibus. Nam lepus si effugit canes insectantes, servatur, si non, laceratur. Quapropter significationem proverbii hanc esse, Zenob. l. c. recte dicit: ἐπὶ τῶν διακινδυνευόντων ταῖς ψυχαῖς καὶ πρὸς τοῦτο καρτερῶς ἀγωνιζομένων τασσομένη. Quodsi ad hoc proverbium poetam nostrum spectasse censemus, sensus illorum verborum non est obscurus. In illo enim proelio navali sicuti lepores pro carnibus currunt, ita servi pro carnibus i. e. pro anima, vita pugnaverunt; nam qui fortes se praestiterant, in libertatem manumissi sunt, qui ignavos, ii graviore servitute oppressi sunt.

Aristophani illum versum scribenti hujus proverbii in mentem venisse, admonere mihi videntur etiam verba, quae paulo post illum versum sequuntur:

οὔκουν περιθρέξει δῆτα τὴν λίμνην κύκλῳ.

In inepto errore versatur paroemiographus Plut. II, 7, qui illum Aristophanis versum ipsum pro proverbio habuit.

Proverbiis, quae a quadrupedum natura orta sunt, tractatis, nunc de proverbiis disseram, quae ad avium naturam spectant.

Ad summas delicias significandas in usu erat locutio ὀρνίθων γάλα, in av. 734. 1674. vesp. 508. 724, ubi significatio tantum fit verbis κωλακρέτου γάλα. Explicatur locutio paucis a Diog. 3,92: ἐπὶ τῶν σπανίων, melius ab Apost.

V, 19 et Suid. s. v. ἐπὶ τῶν λίαν εὐδαιμονούντων καὶ πάντα κεκτημένων, quae eadem scholiastes ad vesp. 508 praebet, haec addens: ὡς καὶ ἐκ τῶν ἀδυνάτων πόρους κομίζεσθαι. ἀδύνατον γὰρ ἐξ ὀρνίθων γάλα ποτὲ λαβεῖν· οἱ δὲ εὐδαιμονοῦντες καὶ τοῦτο, εἰ βουληθεῖεν, πορίσαιντο. Propria locutionis vis erat secundum Anaxagoram ap. Athen. II. 57, D: τὸ ἐν τοῖς ᾠοῖς λευκόν, secundam quam interpretationis viam instituit Suevernius de Arist. av. comment. (acta acad. reg. Berol. 1827 p. 254), quae mihi quidem minime probatur.

Pervulgatam fuisse locutionem docemur eo, quod persaepe occurrit, cf. Strab. 14, 1, 15. Com. Muesim. ap. Athen. IX, 387 (cf. Meinek. frgmt. com. III, p. 578) καὶ τὸ λεγόμενον σπανιώτερον πάρεστιν ὀρνίθων γάλα. Luc. de merc. cond. 13: ἕξεις τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας καὶ ἀμέλξεις ὀρνίθων γάλα. Plin. h. n. in praef. 23: vel lactis gallinacei sperare haustum.

Quodsi in av. 600 legimus:

λέγουσι δέ τοι τόδε πάντες·
οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις,

haec locutio est vulgaris, ut poeta ipse dicit, ex eis orta, quae Graeci vulgo de avibus putabant, quas opiniones vulgares supra jam commemoravi. Scholiastes similes locutiones affert, quae sunt οὐδεὶς μεθεωρεῖ πλὴν ὁ περιπτάμενος ὄρνις vel οὐδεὶς οἶδε τί ὡμίλησα, πλὴν εἴ τις ὄρνις. Paroemiographi eas praeterierunt.

De eis, qui tranquille jucundeque viverent, dicebatur locutio Ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγειν, in av. 1594. Ex fabula prompta sunt quae Hegesander ap. Suid. de origine locutionis tradidit: Alcyoni fuisse septem filias, quarum nomina essent Φωσθονία, Ἄνθη, Μεθώνη, Ἀλκίππα, Παλλήνη, Δριμώ, Αστερίη; patre mortuo eas de Canastraeo promontorio Pallenes in mare se praecipitasse; quam pietatem admiratam Amphitriten in volucres eas mutasse, quae a patris nomine Alcyoniae nominatae essent; verbis autem Ἀλκυονίδες ἡμέραι tranquillitatem maris significari. Quamvis ex hac fabula ad locutionis originem explicandam nihil repeti possit, tamen interest, ex his verbis cognosse, Hegesandro septem dies

Alcyonios fuisse notos; alii alium numerum referunt: novem Philochorus, undecim Simonides et Aristoteles, quattuordecim Hesychius. Septem dies commemorat etiam Ovid. Met 11,745.

Recte origo hujus locutionis a natura avium Alcyoniarum ducenda esse videtur, quam scholiastes ad ran. 1309 sic bene explicat: ἀλκυόνες δὲ ἐπάνω τοῦ τῆς θαλάσσης ὕδατος καθήμεναι τὰ αὐτῶν ᾠὰ ἐν τῷ βυθῷ κείμενα θερμαίνουσι· καθ' ὃν δὲ καιρὸν τοῦτο ποιοῦσιν, ἀλκυονίδες αὗται αἱ ἡμέραι καλοῦνται καὶ ἔστιν ἐν αὐταῖς μεγίστη ἡσυχία ἀνέμων τε καὶ κυμάτων. Similia legas ap. Apost. II, 20. Alcyones commemorat etiam Theocr. 7,57:

ἀλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα τάν τε θάλασσαν.

Voce hirundinis hoc proverbium formatum apud Aristoph. invenitur: μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. In av. 1416, 17 Peithetaerus ad sycophantam quendam conversus dicit: δεῖσθαι ἔοικεν (sc. τὸ ἱμάτιον) οὐκ ὀλίγων χελιδόνων· quibus verbis significat, sycophantae vestem tenuissimam tritamque esse. Hunc versum sic explicandum esse existimo: vestis tua non paucis hirundinibus eget, i. e. cum multae hirundines aderunt, tum vestis tua indui potest, ita ut is, qui ea amictus sit, non algeat. Poetam ad proverbium, quod supra nominaverim, hoc versu spectasse, apparet. Nos idem dicimus: eine Schwalbe macht keinen Sommer. Quae proverbii vis sit, explicatur a Suida: παροιμιῶδες τοῦτο, ὅτι μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ· βούλεται δὲ εἰπεῖν, μία ἡμέρα οὐ ποιεῖ τὸν σοφὸν εἰς τελείωσιν ἐμβαλεῖν καὶ δυςημερία μία τὸν σοφὸν εἰς ἀμαθίαν, et ap. Zenob. 5,12: μία μέλισσα μέλι οὐ ποιεῖ· ἀντὶ τοῦ μία ἡμέρα οὐκ ἐᾷ εἰς γνῶσιν ἐμβάλλειν ἢ εἰς ἀμαθίαν. Similia proverbia inveni in adnott. ad Greg. C. L. II, 71 quae sunt γραμμὴ μία οὐ ποιεῖ τὸν γεωμέτρην et εἷς πλοῦς οὐ τὸν θαλάττιον. Simile est nostrum: Rom ist nicht in einem Tage erbaut.

Jam ex hoc proverbio intelligitur, hirundinis adventu initium veris significari, quod idem probatur versibus in av. 713 et equ. 418: σκέψασθε παῖδες· οὐχ' ὁρᾶθ'; ὥρα νέα, χελιδών. Quae locutio utrum vulgaris fuerit necne, in

medio relinquo; ea autem verba, quae in Thesm. 1. Mnesilochus ad Euripidem conversus dixit, sperans, fore ut tandem ire desineret, speciem proverbii habere mihi videntur. Haec sunt verba: ὦ Ζεῦ, χελιδὼν ἀρά ποτε φανήσεται; in quibus quin metaphora contineatur, nemini dubium esse potest; vel ego non dubito affirmare, hanc locutionem in ore vulgi versatam et de iis dictam fuisse, qui optarent, ut mox a malo, quo opprimerentur, liberarentur. Nam huc referenda sunt quae in frgmt. 499 ex schol. Plat. p. 371 petita leguntur: πυθοῦ, χελιδὼν πηνίκ' ἄττα φαίνεται. Mira sunt quae Photius p. 493,12 ad haec explicanda attulit, repetita a Suida: Πύθου χελιδόνος· παροιμία ἀπό τινος Χελιδόνος θεολόγου ἀνδρὸς καὶ τερατοσκόπου καὶ περὶ τελετῶν διειλεγμένου, ὡς Μνάσεας ὁ Πατρεὺς ἐν τῷ Περίπλῳ· οἱ δὲ ὅτι θρηνητικὸν τὸ ζῷον. οἱ δὲ ὅτι τὸ ἔαρ σημαίνει. Tres igitur proverbii interpretationes Photius praebet, quarum duae priores rejiciendae sunt: altera enim, secundum quam Chelidon vates erat, inani alicujus grammatici commento orta est; de quo plura videas in Lobeck. Aglaoph. I, 304 et 1352, ubi: „Chelidon ille vetus θεόλογος . . . . prorsus ignotus est et nomen fortasse a falsa proverbii interpretatione ortum.“ cf. Voss, epist. myth. 3,14; altera, quae est ὅτι θρηνητικόν, vel ut Hesychius et in App. prb. IV, 63 ὀδυρτικὸν τὸ ζῷον, intellectu caret. Tertia denique interpretatio recta est: ὅτι τὸ ἔαρ σημαίνει (sc. ἡ χελιδών). Nam hirundinis adventu initium veris significari, docet etiam carmen populare, quod Bergkius in poet. lyr. p. 1297—1322 sub. N. 41 notavit:

ἦλθ', ἦλθε χελιδών,
καλὰς ὥρας ἄγουσα,
καλοὺς ἐνιαυτούς etc.

Quam si interpretationem sequemur, inveniemus, utramque locutionem et χελιδὼν ἀρά ποτε φανήσεται; et πυθοῦ χελιδόνος eandem esse metaphoram vulgarem, de eis dictam, qui in rebus minus secundis versentur et in meliorem conditionem pervenire cupiant.

Alia locutio proverbialis voce χελιδών formata legitur

in ran. 93: χελιδόνων μουσεῖα, quibus verbis Aristophanes poetis malis aetatis suae illudit, ut scholiastes refert: παροιμία ἐπὶ τῶν πολυλόγων καὶ ἐπαχθῶν ταττομένη· τοιοῦτον γὰρ τὸ τῶν χελιδόνων γένος, πλέον διὰ τὸ πολὺ τῆς ᾠδῆς ἀνιῶν τοὺς ἀκούοντας ἢ διὰ τὸ μέλος εὐφραῖνον. Voci enim χελιδών in ore vulgi significatio garrulitatis et loquacitatis inerat, veluti in ran. 679: Κλεοφῶντος· ἐφ' οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις

δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρῃκία χελιδὼν
ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον,

ubi poeta Cleophonti irridet, dicens, labris ejus Thraciam hirundinem insidere. Vocem χελιδών explicat scholiastes per ἀπαιδευσία. Hirundo nominatur Thracia, quod Cleophon e gente Thracia natus erat. Eandem interpretationem praebet Erasm. p. 309 „est haec avis minime canora, sed molesto quodam stridore; unde apud Pythagoricos loquacitatis symbolum esse meruit, cum vetant, ne quis hirundinem sub eodem habeat tecto."

Etiam vocem κρώζειν in usu vulgari fuisse, dictam de loquacibus hominibus, intelligimus ex plut. 369 σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις, ubi schol.: παροιμία ἐπὶ τῶν μάτην θρυλούντων, ὡς αἱ κορῶναι. cf. equ. 1020. 1051.

Locutio, quae in vesp. 794 inest, a scholiastis omissa est. Hoc enim loco sermo est de drachma, quam Philocleon et Lysistratus pro praemio, quod Graeci ἐκκλησιαστικόν vocant, acceperunt. Quam Lysistratus cum sex obolis permutasset, pro tribus obolis, quos Philocleoni dare debebat, tres squamas piscis dedit. Philocleon cum eas, ne perderet, in os recondidisset, sensit, se esse deceptum et Lysistratum in judicium vocare vult, narrans, Lysistratum haec dixisse verba: ἀλεκτρυόνος μ' ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν· ταχὺ γοῦν καθέψεις τἀργύριον, ἦ δ' ὃς γελῶν. Ad verba ἀλεκτρ. κοιλίαν ἔχειν explicanda affert scholiastes haec: ἐπεὶ πάντα πέττουσιν οἱ ἀλεκτρυόνες θερμοτάτην κοιλίαν ἔχοντες. Non dubito, quin ea verba locutio vulgaris fuerint, ut recte etiam Suidas s. v. ἀλεκτρ. annotat, quamquam Bernhardius verba καὶ παροι-

μία cum sequentibus αἶρε πλῆκτρον conjungi vult. Affirmatur conjectura mea eo, quod Zenob. 1,68 cognatam locutionem notavit: ἀλεκτρυόνος μέμφεσθαι κοιλίαν· ἐπὶ τῶν περὶ τὸν βίον πολυτελῶν καὶ ἁβροδιαίτων.

De eis, qui ex rebus minutis nimios fructus quaererent, dicebatur proverbium: μία λόχμη δύο ἐριθάκους οὐ τρέφει. In vesp. 927,8 in ficto judicio canis, quae accusatoris partes obtinebat, a Philocleone judice petit, ut canis accusata supplicio afficiatur, sic loquens:

πρὸς ταῦτα τοῦτον κολάσαι'· οὐ γὰρ ἄν ποτε
τρέφειν δύναιτ' ἂν μία λόχμη κλέπτα δύο,

quibus verbis poeta id proverbium tetigit quod supra nominavi. Sumptum est a natura erithaci avis cujusdam solitariae et rapacis; nam rapax est avis erithaceus et sola tantum vivere solet, ut in eo 'em saltu non temere nisi unam invenias, ut Erasm. p. 313 docet. Interpretantur proverbium simili ratione Apost. 11,68. Zenob. 5,11. Diog. 3,15: ἐπὶ τῶν ἐκ μικροῦ τινος πολλὰ σπουδαζόντων. Melius Erasm. l. c.: „mihi videtur non intempestiviter dici posse in eos, quibus parum convenit nec in eodem munere concorditer versari queunt."

Notum est, gruibus consuetudinem esse, ut lapides in ore secum portent; cujus consuetudinis mentionem facit poëta in av. 1136,7, ubi nuntius Peithetaerus referens quomodo urbs avium Νεφελοκοκκυγία aedificata sit, cum alia tum haec narrat, grues attulisse lapides:

ἐκ μέν γε Λιβύης ἧκον ὡς τρισμύριοι
γέρανοι θεμελίους καταπεπωκυῖαι λίθους

et in av. 1428,9 de sycophanta:

μετὰ τῶν γεράνων τ' ἐκεῖθεν ἀναχωρῶν πάλιν
ἀνθ' ἕρματος πολλὰς καταπεπωκὼς δίκας.

Quadecausa grues lapides secum portare soleant, varie traditur; scholiastes enim dicit: πολλάκις καὶ στηρίγματος ἕνεκα περιφέρουσι λίθους αἱ γέρανοι πρὸς τὸ μὴ παραφέρεσθαι ἀνέμοις. Similiter Vergil, georg. 4,194:

„saepe lapillos,
Ut cymbae instabiles fluctu jactante suburram,
Tollunt, his sese per inania nubila librant.“

Aliter originem consuetudinis explicant Aelian. περὶ ζώων 3,13 et Plin. h. n. 10,23 (30) „excubias habent (sc. grues) nocturnis temporibus lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno et decidens indiligentiam coarguat.“ Tertia denique interpretatio ap. Suid. s. v. legitur, qui non solum illum gruum morem, sed etiam proverbium, γέρανοι λίθους φέρουσι, quod ex hoc gruum more ortum est, explicat: ἐπὶ τῶν προνοητικῶς τι ποιούντων· αἱ γὰρ γέρανοι διὰ τὸ ἐν ὕψει πέτεσθαι καὶ τῇ εἰς εὐθὺ ὁρμῇ τὴν ἐπὶ τὰ κάτω θεὰν ἐμποδίζεσθαι, λίθους βαστάζουσιν, ὅπως κάμνουσαι τῇ πτήσει ῥίπτοιεν, καὶ αἴσθοιντο, πότερον ἐπὶ γῆς ἢ θαλάσσης φέρονται· καὶ εἰ μὲν ἐπὶ θαλάσσης ἦχοι ὁ λίθος, ἀνύουσι τὴν ὁδόν· εἰ δὲ ἐπὶ γῆς, ἀναπαύονται. cf. Apost. V, 35. App. I, 70. Quaecunque origo hujus locutionis est, proverbium de cautis providisque hominibus in usu fuisse, constat teste Suida; neque tamen Aristophanem ad proverbium ipsum spectasse, sed fontem modo proverbii, i. e. consuetudinem gruum lapides secum portandi, istis verbis attigisse, apparet.

Restat ut de eis proverbiis locutionibusque disseram, quae de plantarum natura deprompta sunt.

In vesp. 436 Bdelycleon, postquam vesparum chorum se aggredientem vidit, servos in auxilium vocat, jocose dicens ὡς ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας οἶδα θρίων τὸν ψόφον, ubi schol. παρὰ τὴν παροιμίαν „πολλῶν ἐγὼ θρίων ψόφους ἀκήκοα.“ τὰ γὰρ θρῖα καιόμενα ψοφεῖ· εἴρηται δὲ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δι’ ἀπειλῆς θόρυβον καὶ κόμπον ἐμποιούντων διακενῆς. Quadrat locutio in senes, qui vesparum forma induta, Bdelycleoni vim afferre frustra minantur. Quid sit θρῖον, explicatum legimus in adnott. ad Diog. VII, 92: „θρῖον farciminis est genus, quo plebs Athenienses vehementer delectabatur (cf. Ach. 1101. equit. 960); nomen accepit, quod singulae res, ex quibus componebatur, in θρῖον, ficus folium involvebantur inque eo coquebantur.“ In nostro autem proverbio vocem

θρῖος non farcimen, sed folium significare, apparet. Idem proverbium Apost. XIV, 68 recepit, ubi falsa lectio θηρίων pro θρίων legitur.

Utrum in ran. 859 σὺ δ' εὐθὺς ὥσπερ πρῖνος ἐμπρησθεὶς βοᾷς, quibus verbis Bacchus Aeschylum compellat vehementer stomachantem propter Euripidis crimina, locutio vulgaris contineatur, an metaphora ab Aristophane formata, in medio relinquendum est, quanquam Graecis complures ejusdem generis locutiones vulgares fuisse traditum est, veluti ap. Diog. VI, 52 μείζονα βοᾷ δάφνης χλωρᾶς καιομένης· ἐπὶ τῶν μεγάλα βοώντων.

Ex elleboro, quod Romani veratrum vocant, medicamentum Graeci componebant, quo ii sanarentur, qui in insaniam incidissent. Quapropter locutioni, quae est πῖθ' ἐλλέβορον in ran. 1489 similis significatio inest ac si dicimus „insanus es, veratro tibi opus est." cf. Apost. XIV, 30 a. Athen. X, 446. D. Spectavit ad proverbii formam tantum, neglecta sententia, poeta noster in Lys. 67. ubi Callinice mulieres nonnullas appropinquantes videns ex Lysistrata quaerit, unde sint: πόθεν εἰσίν; cui haec respondet: Ἀναγυρουντόθεν, et illa iterum: νὴ τὸν Δία ὁ γοῦν ἀνάγυρός μοι κεκινῆσθαι δοκεῖ.

Erat enim et vicus in Attica, cui nomen Ἀνάγυρος erat, et herba quaedam eodem nomine praedita, quarum vocum in concentu solo jocus continetur. Nam quod locutio ἀνάγυρον κινεῖν significat, id prorsus hoc loco neglectum est. Orta est locutio a flore ἀνάγυρος, qui tritus male olebat, ut in scholiis legimus ἔστι δὲ πόα δυσώδης. Dicebatur in eos, qui sibi ipsis malorum auctores essent et in suam ipsorum perniciem quempiam irritarent, ut Erasm. p. 39 explicat. cf. Apost. IX, 99, qui similes locutiones enumerat, veluti κορώνη τὸν σκορπίον, κόνιν φυσᾷς, εὖ κείμενον κακὸν κινεῖς — quae verba postrema non proverbii speciem, sed interpretationis antecedentis proverbii praebent — λέοντα νύσσεις. Commemoratur nostra locutio etiam a Zenob. II, 55 et G. C. M. I, 23.

In ore vulgi item versabatur locutio, quae est λημᾶν

κολοκύνταις, de iis dicta, qui oculis non satis prospicerent, veluti Socrates ad Strepsiadem conversus in nub. 327, choro nubium in orchestram introeunte, dicit: νῦν γέ τοι ἤδη καθορᾷς αὐτάς, εἰ μὴ λημᾷς κολοκύνταις. Qua de locutione Hesychius haec affert: λημᾶν χύτραις ἢ κολοκύνταις· παροιμία ἐπὶ τῶν ἀμβλυωττόντων. Similia cf. ap. Suid. et in not. crit. ad Diog. V, 11.

Notum est, Aristophanem, quod in comoedia, quae est ἱππεῖς, Cleonem potentissimum illius temporis civium Atheniensium nimis ludificatus esset, lite implicitum fuisse eamque ob causam gravia quaedam passum esse, vel comoediarum actionem coercitam esse, ut scholiastes refert. Ad hanc litem et discidium, quod poetae cum Cleone erat, pertinent verba, quae sunt in vesp. 1291: εἶτα νῦν ἐξαπάτησε ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον, quibus haec vis inest: Cum sequenti anno postquam comoedia ἱππεῖς acta est, in comoedia νεφέλαι Cleonis mentio non facta esset, certe multi fuerunt, qui putarent, Aristophanem placatum esse Cleoni. Quae qui putarent, in errore versari, admonuit Aristophanes hoc vesparum loco, quae comoedia proximo anno acta est, usus ea locutione, quam modo notavi. Quomodo locutio orta sit et quae significatio ei insit, apud scholiastam h. l. sic explicatum legimus: παροιμία ὅταν ὑπὸ τοῦ σωζομένου τὸ σῶζον ἀπατηθῇ· ἢ ὅταν ἐξαπατηθῇ τις πιστεύσας· ἔστιν οὖν παροιμία ἀπὸ τῶν καλάμων τῶν προςδεσμουμένων ταῖς ἀμπέλαις, οἳ ἐνίοτε ῥιζοβολοῦντες ὑπεραυξάνονται τῶν ἀμπέλων. Similiter de proverbii vi disputat Bernhardius ad Suid. s. v. ἡ χάραξ κ. τ. λ. „apparet id proverbium ad res subitarias et praeter exspectationem provenientes proferri.“ cf. Zenob. VI, 40.

II. De proverbiis locutionibusque a gentium hominumque singulorum indole moribusque petitis.

Omnium populorum Graeciae maxime Athenienses animos nostros tenent delectantque; quapropter primum videamus, quae proverbia de Atheniensibus vulgata poeta noster usurpaverit vel tetigerit. Quodsi in nub. 587 de Atheniensibus haec verba dicuntur:

φασὶν γὰρ δυσβουλίαν
τῇδε τῇ πόλει προςεῖναι, ταῦτα μέν τοι τοὺς θεοὺς
ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ' ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν·

ex ipsis verbis intelligitur, apud Graecos proverbii loco fuisse Atheniensium successum prosperum in rebus suscipiendis, qui tantus esset, ut vel ea, quibus male consuluissent, prospere deis adjuvantibus succederent. Suidas s. v. δυςβ. annotat: ἦν τοῦτο λεγόμενον ἐπιχώριον. Originem sententiae scholiastes ex fabula duxit: φασὶ ὅτι Ποσειδῶν ἡττηθεὶς τῇ Ἀθηνᾷ δυςβουλίαν ἐπέβαλεν Ἀθηναίοις, Ἀθηνᾶν δὲ τὰ βουλεύματα καλῶς μεταβάλλειν. Eadem sententia occurrit in eccles. 473—6:

λόγος γέ τοί τις ἔστι τῶν γεραιτέρων
ὅσ' ἂν ἀνόητ' ἢ μῶρα βουλευσώμεθα,
ἅπαντ' ἐπὶ τὸ βελτίον ἡμῖν ξυμφέρειν.

Mirum esse docuit Lehrsius, praeceptor spectatissimus venerabilissimusque, cum comoediam νεφέλαι explicaret, illo loco legi verbum φασίν, hoc λόγος ἔστι τῶν γεραίτερων; neque tamen poetam temere sic scripsisse. Nam cum illa comoedia ante belli Peloponnesiaci exitum, haec vero postea acta esset, Aristophanem oppressum summa Atheniensium clade jam desiisse fortunae Atheniensium confidere. — Ouam vulgata haec sententia de Atheniensium fortuna dicta fuerit, docent loci, qui sunt in equ. 1055: Κεκροπίδη κακόβουλε et ap. Eupolin 214: ὦ πόλις, πόλις ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Hoc loco liceat notare, Athenienses etiam ut tardos in rebus agendis apud omnes pervulgatos fuisse; quod docet locus, qui est in Lys. 56, 7:

ἀλλ', ὦ μέλ, ὄψει τοι σφόδρα αὐτὰς Ἀττικάς
ἅπαντα δρώσας τοῦ δέοντος ὕστερον,

ubi Lysistrate de mulieribus Atheniensibus locuta est, quae more Attico c. e. sero in conventum mulierum convenirent. Qua in re cui non in mentem venit strenuitatis Dicaeopolis, civis Acharnensis, qui primo jam mane in pnycem se contulerat, multumque temporis exspectabat, quoad populus

Atheniensium conveniret. Quacum Acharnensium strenuitate congruunt quae Lysistrate in vers. 61—63 dicit:

οὐδ' ἃς προςεδόκουν κἀλογιζόμην ἐγὼ
πρώτας παρέσεσθαι δεῦρο τὰς 'Αχαρνέων
γυναῖκας, οὐχ ἥκουσιν.

Alia locutio de Atheniensibus dicta est 'Αττικὸς εἰς λιμένα in frgmt. 61. cf. Hesych. et Phot. p. 22,7, qui de forma recte annotat λείπει ἰσχυρός. Originem Hesychius sic explicat: οἱ γὰρ 'Αθηναῖοι συντόνως ἤλαυνον καταπλέοντες διὰ τὸ θεωρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐκ τῆς γῆς. Eadem est interpretatio Apostolii in IV, 20, excepto eo, quod pro verbis καταπλεῖν εἰς λιμένα scripsit τοῦ λιμένος ἐξιέναι. Dicebatur proverbium de eis, qui inspectantibus quibusdam omni contentione laborant, ut Mac. II. 55 docet: ἐπὶ τῶν εὐτονωτέρως διά τινας παρόντας ἐργαζομένων, vel ut Zenob. II, 10: ἐπὶ τῶν τὴν ἀνδρείαν ἐπιδεικνυμένων.

Quamvis non ad Atheniensium mores, sed ad naturam urbis Athenarum spectet locutio, quae est εἰς 'Αθήνας γλαῦκας φέρειν, tamen jam hoc loco disserere de ea liceat. Mentio fit hujus locutionis in av. 301, ubi scholiastes, quae vis ei subjecta sit, sic docet: παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μάτην ἐπισωρευόντων τινὰ (τι?) ἐπὶ τοῖς προϋπάρχουσιν, οἷον εἴ τις ἐν Αἰγύπτῳ σῖτον ἐπαγάγῃ, ἢ ἐν Κιλικίᾳ κρόκον. Melius Hesychius: παροιμία τῶν μάτην τι πρασσόντων, ὥσπερ εἴ τις γλαῦκας 'Αθήναζε ἄγοι· πληθύουσι γὰρ ἐνταῦθα γλαῦκες. Eadem narrant Suid., Diog. V. II, 13, Zenob. III, 6.

Hae sunt sententiae, quae de Atheniensibus in proverbii consuetudinem abierunt, quatenus ex Aristophanis comoediis perspicere possumus.

De Lacedaemoniis in usu erat proverbium, quod Aristophanes in pac. 1188—90 commemorat:

πολλὰ γάρ' δη μ' ἠδίκησαν
ὄντες οἴκοι μὲν λέοντες
ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες.

Quodsi ad haec verba explicanda scholiastes narrat: παροιμία παρὰ τοὺς ἐν 'Ασίᾳ Λάκωνας ἀτυχήσαντας „οἴκοι λέοντες,

ἐν Ἐφέσῳ δὲ Λάκωνες, pro verbis δὲ Λάκωνες legendum esse δ' ἀλώπεκας, cum voci λέοντες non Λάκωνες, sed ἀλώπεκες oppositum sit, apparet; quam emendationem comprobatam inveni a Leutschio in adnott. ad G. C. M. 1, 83. Commemorant hoc proverbium Aelian. var. hist. XIII, 9. οἱ δ' ἐκ τῆς Ἑλλάδος λέοντες ἐν Ἐφέσῳ γεγόνασιν ἀλώπεκες et Plut. in compar. Lys. c. Sulla: οἴκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ ἀλώπεκες. Hanc locutionem pervulgatam fuisse non est mirandum, cum Lacedaemonii propter rem militarem atque gloriam bello paratam se jactarent atque ostentarent; cf. O. Müller, die Dorier, I, 198, quapropter saepe derisui fuerunt, veluti in Lys. 276:

Κλεομένης . . . . ἀλλ' ὅμως Λακωνικὸν πνέων
ᾤχετο θὦπλα παραδοὺς ἐμοί.

Perfidi dicuntur Lacedaemonii in Lys. 629:

ἀνδράσιν Λακωνικοῖς
οἷς πιστὸν οὐδὲν εἰ μή περ λύκῳ κεχηνότι,

de qua locutione jam supra disputatum est. Non omittendum est, haec verba ab Aristophane dicta esse, patriae amantissimo, acerrimo Lacedaemoniorum hoste.

Obscena est locutio, quam in Arist. frgmt. 322 legimus: λακωνίζειν, cf. Phot. p. 204, 10 et Suid., cujus verbi mentionem non facerem, nisi eo vitium significaretur, quo praeter alias gentes etiam Lacedaemonii affecti fuisse videntur. Piget legere quae Suidas ad verbum λακωνίζειν explicandum praebet: παιδικοῖς χρῆσθαι, quod idem Apost. X, 42 refert.

Jam multo obsceniore vitio laborasse Lesbios memoriae traditum est. In vesp. 1345,6 enim legimus

ὁρᾷς ἐγὼ σ' ὡς δεξιῶς ὑφειλόμην
μέλλουσαν ἤδη λεσβιεῖν τοὺς ξυμπότας,

quae verba Philocleon ad scortum conversus loquitur, quod ex convivio rediens secum duxerat. Significatur vitium, cui primi Lesbii dediti fuisse dicuntur; quam ob causam verbum λεσβιεῖν de eis in usu erat, qui in idem vitium essent delapsi, ut scholiastes explicat: τὸ λεσβιεῖν ἐπὶ τοῦ αἰσχροῦ τάττεται, ἐπειδὴ οἱ Λέσβιοι αἰσχρουργοῦσι τῷ στόματι μολυνόμενοι.

Auctor est Vossius, Aristyllum quendam, cujus in vesp. 647 mentio fit, eodem vitio fuisse affectum. Etiam in eccles. 920, ubi anus invidiosa puellae maledicit, quae amatorem exspectat, ad hoc vitium spectatur verbis quae sunt: δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους. Qua de re obscena cf. schol. h. l. et App. prb. IV, 73.

Ad Milesiorum mores corruptos pertinent, quae in Lys. 107—110 a mulieribus dicta sunt:

ἀλλ' οὐδὲ μοιχοῦ καταλέλειπται φεψάλυξ,
ἐξ οὗ γὰρ ἡμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι
οὐκ εἶδον οὐδ' ὄλισβον ὀκτωδάκτυλον
ὃς ἦν ἂν ἡμῖν σκυτίνη 'πικουρία,

quibus verbis aliud vitium cognoscimus, cui mulieres deditae erant et quod Mileti imprimis viguisse videtur. Verba σκυτίνη ἐπικουρία pertinere ad proverbium συκίνη ἐπικουρία, auctor est scholiastes; vocem enim σκυτίνη pro συκίνη scriptam esse, quod eae res, quae voce ὄλισβοι significantur, ex corio fabricarentur. Quid locutio significet, docent scholiastes et Mac. VII, 83: ἐπὶ τῶν ἀσθενῶν.

Alia de Milesiis dicta locutio est in plut. 1033: πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, quae verba adulescens loquitur, dona remittens, quae anus ei obtulerat. Significat adulescens, se anum, cui usque ad id tempus morem gesserit, prorsus inde neglecturum esse. Sumptum esse proverbium de Milesorium clade quadam, scholiastes annotat. Significatio proverbii haec est in scholiis: ἐπὶ τῶν πρότερον μὲν εὐδαιμονούντων, νῦν δὲ ἀτυχούντων. Iterum legitur proverbium in plut. 1075; attingitur in vesp. 1060.

Infamia erant Corinthiorum scorta, avidissima pecuniae, quae poeta in plut. 149—53 commemorat:

καὶ τὰς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς Κορινθίας
ὅταν μὲν αὐτάς τις πένης πειρῶν τύχῃ
οὐδὲ προσέχειν τὸν νοῦν· ἐὰν δὲ πλούσιος,
τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τοῦτον τρέπειν.

Unde proverbium profectum est:

οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς,

quod Hesychius Aristophani attribuit. Quodsi Dindorfius in frgmt. dub. VII dubitat, utrum Hesychius comicum an grammaticum dixerit, mihi quidem, postquam illos versus legi, quippe in quibus fons proverbii contineatur, non dubium est, quin Hesychius comicum dixerit.

Magno in numero Corinthi fuisse scorta, praeter alios et Strabo libro VIII docet; templum enim fuisse Veneri sacrum adeoque locupletatum, ut plus mille puellas haberet, quas Corinthii Veneri consecrarent, ut in ejus honorem prostarent. Quarum quanta pecuniae cupiditas fuerit, qui cognoscere velit, legat quae Gellius noct. Att. I, 83 de Laide refert. Ex scortorum illecebris et avaritia illud proverbium profectum esse, quod supra ex Hesychio protuli, consentiunt Zenob. V, 37 et Diog. VII, 16. Quodsi Apostolius XIII, 60 et Suidas praeter eandem originem etiam hanc commemorant: ἢ διὰ τὸ δυσείσβολον εἶναι τὸν πλοῦν, inani commento alicujus grammatici ea interpretatio profecta esse videtur. Sed et Erasmus hanc probasse videtur, quippe qui in p. 106 doceat, proverbium dictum esse de rebus arduis et aditu periculosis, quas non sit cujuslibet hominis affectare. Mentionem facit proverbii Hor. ep. 1, 17, 36:

Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Vel verbum Κορινθιάζομαι significat idem ac lenocinium facere, quo Aristophanes in Cocalo usus est, ut Stephanus Byz. s. v. Κόρινθος refert: καὶ κορινθιάζομαι τὸ ἑταίρειν ἀπὸ τῶν ἐν Κορίνθῳ ἑταιρῶν· ἢ τὸ μαστοπεύειν· Ἀ ἐν Κωκάλῳ.

Neque solum scorta Corinthiorum, sed etiam Corinthii ipsi rebus veneriis dediti fuisse dicebantur, ut docent verba in Thesm. 401—4:

κἂν ἐκβάλῃ
σκεῦός τι κατὰ τὴν οἰκίαν πλανωμένη,
ἀνὴρ ἐωτᾷ „τῷ κατέαγεν ἡ χύτρα,
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ."

Item libidinum plenos fuisse Carystios, intelligitur ex Lys. 1058. 1181. eandemque ob causam et Jonica carmina male audivisse, docent verba in eccles. 883 et 918—919.

Quodsi verborum λακωνίζειν et λεσβιεῖν et κορινθιάζεσθαι meminerimus, non erit mirandum nobis, legentibus verbum συβαρίζειν in pac. 344 a scholiasta per τρυφᾶν explicatum. Sybaritae enim in ore omnium erant tantopere luxuriae dediti, ut vox συβαρίζειν eandem significationem acciperet atque luxuriari, cf. schol: ὥστε καὶ εἰς παροιμίαν φέρεσθαι ἐκνενίκηκε ἡ Συβαριτικὴ τράπεζα, ἡ πολυτελὴς καὶ δαψιλής. Cum metro invito συβαρίζειν l. c. legatur, viri docti codicum lectionem mutari volunt: Meinek in Anal. Alex. p. 118 proposuit συβριάζειν; L. Dindorfius in Thes. vol. 7 p. 931 συρβιάζειν. cf. Valck. Call. p. 288. Nec tamen cum optimi codices lectionem συβαρίζειν praebeant, quisquam eorum, qui A. comoedias ediderunt, a vulgata lectione recedere ausus est.

Sybaritarum luxum etiam in frgmt. 33 commemoratum legimus: Συβαριτίδες εὐωχίαι, et ap. Zenob. V, 87: Συβαριτικὴ τράπεζα: ἀντὶ τοῦ ἐν πολυτελείᾳ, et ap. Diog. I, 2 Συβαριτικὸς βίος.

Cretensium animus fraudulentus et dolosus jam Homero notus erat, cujus etiam in epistola a Paulo ad Titum scripta I, 12, mentio fit; Κρῆτες ἀεὶ ψευσταί, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Quam ob causam verbo κρητίζειν vis mentiendi fallendique subjecta est, ut ap. Athen. 11,371 et Plut. Aem. 23 et Lys. 20.

Item fraudibus facinoribusque Aegyptii infamati erant, veluti ap. Theocr. Adon. 47: οὐδεὶς κακοεργὸς δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων Αἰγυπτιστί, et ap. Diog. IV, 37 et Zenob. III, 37: δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι, quae verba ab Aeschylo dicta esse, refert scholiastes ad nub. 1130, qui idem αἰγυπτιάζειν per τὰ ὕπουλα πράττειν explicat. Poeta noster mentionem Aegyptiorum tantum in ran. 1405 facit, nec tamen dolosos eos vocat.

Eodem denique vitio fraudandi et Argivos affectos fuisse, cognoscimus ex frgmt. 153, ubi ex Suida haec prompta leguntur: Ἀργεῖοι φῶρες· ἐπὶ τῶν προδήλως πονηρῶν· οἱ γὰρ Ἀργεῖοι ἐπὶ κλοπῇ κωμῳδοῦνται. Ἀ. Ἀναγύρῳ. Similia memoriae prodiderunt Eustath. ad Hom. Iliad. β, 559: παροιμία· Ἀργεία φορά. cf. Diog. II, 79 et App. III, 35.

Ut omittam perfidiam Thessalorum, de qua cf. schol. ad plut. 522, et Phoenicum mercaturam, cujus in frgmt. 709 mentio fit, hoc loco commemorabo tantum lora Corcyraeorum, Κερκυραία μάστιξ in av. 1463. Apud Corcyraeos enim tanta lora in usu erant, ut in proverbii consuetudinem venirent, ut scholiastes explicat: συνεχῶς Κερκυραίοις ἀταξίαι γίνονται· διὰ τὸ στασιάζειν οὖν ἐπεπόλαζε παρ' αὐτοῖς ἡ μάστιξ, ὥστε διπλαῖς χρῆσθαι μεγάλαις καὶ ἐλεφαντοκόποις. Similia cf. ap. Zen. 4,49 et Hesych. Recte Diog. V, 49 locutionem explicat per ἐπὶ τῶν μεγάλων μαστίγων. Laudibus effert Corcyraeorum lora Plutarch. Mor. 842. D: ὦ Κερκυραία μάστιξ, ὡς πολλῶν ταλάντων εἶ ἀξία.

Locutionis, quae in frgmt. 568 (cf. Zenob. 1,1) legitur: Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, Zenobius originem duplici ratione explicat, quarum altera in eo continetur, quod apud Abydenos usus erat, ut post cenam liberos suos producerent hospitibusque ostenderent; altera haec est, si verbis paroemiographi uti mihi liceat: εἴρηται ἡ παροιμία καὶ ἀπὸ τοῦ ὑπ' αὐτῶν (sc. Abydenos dicit) συκοφαντεῖσθαι τοὺς ξένους· ἔνθεν Ἀριστοφ. τὸν συκοφάντην Ἀβυδοκόμην (ut Dindorfius scribi vult pro Ἀβυδηνοκώμην); quam originis interpretationem poeta noster, cum sycophantam Ἀβυδοκόμην vocaverit, probasse videtur.

Quoquo modo res se habet, sive locutio orta est ex illo more, quem supra commemoravi, sive ex perfidia Abydenorum, utraque in interpretatione desideratur locutionis significatio; quae mea quidem sententia ea erat, ut locutio de eis diceretur, qui primo beneficia in aliquem conferrent, tum beneficia mutarent in maleficia.

De Megarensibus duae locutiones afferendae sunt, quae sunt Μεγαρικὴ μηχανή et γέλως Μεγαρικός, quarum illius mentio fit in Ach. 738, ubi scholiastes hanc interpretationem praebet: ἀντὶ τοῦ πονηρά, πανοῦργος μηχανή· διεβάλλοντο γὰρ ἐπὶ πονηρίᾳ οἱ Μεγαρεῖς, ἄλλα μὲν λέγοντες, ἄλλα δὲ ποιοῦντες. Quodsi Erasmus p. 351 etiam aliunde originem locutionis duci posse dicit, sic disputans: „constat enim, Euclidem Socraticum fuisse Megaricum, qui suscepit scholam Megaricam. Hic fuit insignis machinarum artifex. Fieri

potuit, ut hinc natum sit adagium", falsam esse hanc conjecturam, neminem effugere potest, qui in animo consideraverit, Euclidem posterioribus temporibus fuisse quam comoediam Acharnensium actam esse, in qua illam locutionem jam proverbialem fuisse apparet. Quapropter non dubium esse potest, quin a dolosis Megarensium animis locutio orta sit.

Tum risus Megarensium proverbio eludebatur, ut γέλως Μεγαρικός de eis diceretur, qui risu res approbarent, quae infacete dictae essent. Pertinent ad hanc locutionem verba Arist. in vesp. 54. 57:

φέρε νῦν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον
ὀλίγον ἄνθ' ὑπειπὼν πρῶτον αὐτοῖσιν ταδί,
μηδὲν παρ' ἡμῶν προςδοκεῖν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.

Erasm. p. 146 docet, locutionem in eos esse dictam, qui parum tempestive jocarentur. Orta est locutio ex eo, quod ut Meinekius in frgmt. Com. I. p. 21 docet, comoedia Megarensium, quae aliquam diu viguerat, paulatim tantopere erat delapsa, ut cum Megarenses infacetis verbis delectarentur, risus Megarensium in proverbium abiret. Huc referenda sunt quae schol. ad ran. 58 et Apost. V, 29 et Diog. III, 88 narrant. Eandem locutionem commemorat Eupolis 246: 'Ηράκλεις, τοῦτ' ἐστί σοι τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν παὶ σφόδρα ψυχρόν· γελῶσιν γὰρ (γελᾷ γὰρ Cobet) ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία. Non inutile sit, hoc loco notare, etiam lacrimas Megarensium proverbii locum obtinuisse. Megarensium lacrimae enim eae vocabantur, quae per simulationem fusae essent, ut Hesychius tradidit, originem locutionis sic narrans: Μεγαρέων δάκρυα· δοκεῖ πλεῖστα φύεσθαι ἐν τῇ Μεγαρία σκόροδα καὶ παροιμία ἐπὶ τῶν προςποιητικῶς δακρυόντων. Originem ex fabula sumptam cp. Zenob. V, 8 legas, si placeat.

Magnus est numerus locutionum, quibus eae res significentur, quae alicubi praecipue gignuntur, vel a gente quadam imprimis procreantur, veluti χρυσὸς ὁ Κολοφώνιος in frgmt. 131. cf. Zenob. 6,47 et Plut. II, 15: μέμνηται δὲ ταύτης 'Αριστ. ἐν Κωκάλῳ· εἴρηται δὲ παρόσον οἱ Κολοφώνιοι τὸν κάλλιστον χρυσὸν ἐργάζεσθαι νομίζονται.

Κυδώνια μῆλα in frgmt. 634, cf. Polluc. 6,47, quae mala in Ach. 1199 et nub. 977 commemorantur.

λάβρακες Μιλήσιοι in equ. 361 et frgmt. 333. Plura legas ap. Apost. X, 38 et in App. III, 57.

γλαῦκες Λαυριωτικαί in av. 1106, quibus verbis nummi argentei intelligendi sunt, impressa ulula signati.

Τρικορυσία ἐμπίς in Lys. 1032, ubi schol: ὡς ἐν Τρικορύθῳ (sc. δήμῳ) πολλῶν ἐμπίδων γιγνομένων· ἔστι γὰρ ἀλσώδης καὶ κάθυγρος.

Ταρτησία μύραινα in ran. 475, quam locutionem ex imitatione proverbii γαλῆ Ταρτησία, de quo Diog. III, 71 disseruit, profectam esse Leutschius in adnott. ad Apost. XVI, 15 admonet.

Αἰτναῖος μέγιστος κάνθαρος in pac 73. Quae locutio utrum ex eo orta sit, quod magni canthari in monte Aetna erant, an Αἰτναῖος per ὑπερμεγέθης comparatione instituta intellegendum sit, ut scholiastes quidem vult, decernere non possum. Quamquam illa interpretatio, secundam quam locutioni similitudo cum eis est, quas huc attuli, mihi magis arridet quam haec.

ὄξος Σφήττιον in plut. 720.

ἔρια Μιλήσια in Lys. 729 et στρώματα Μιλήσια in ran. 542, ubi schol: ἐκεῖ γὰρ ἐν Μιλήτῳ καλὴ ἡ τῶν στρωμάτων ἐργασία.

βάμμα Σαρδιακὸν βάπτειν τινά in Ach. 112; quae verba dicuntur de eo, qui verberibus tantopere castiget aliquem, ut sanguine resperso cruentus sit. Quae locutio quamvis vulgaris a scholiastis non notata sit, tamen speciem proverbii manifestam praebet. De veste purpurea occurit locutio βάμμα Σαρδιακόν dicta in pac. 1174, ubi scholiastes annotat, poetam etiam in comoedia Ταγηνισταί eadem locutione usum fuisse. In pac. 1176, ubi dux ignavus describitur:

ἣν δέ που δέῃ μάχεσθ' ἔχοντα τὴν φοινικίδα,
τηνικαῦτ' αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνικόν,
κᾆτα φεύγει πρῶτος,

poeta voce Κυζικηκικόν usus est, ut Cyzienorum ignaviam

irrideret, ut scholiastes refert: οἱ γὰρ Κυζικηνοὶ ἐπὶ δειλίᾳ καὶ θηλύτητι ἐκωμῳδοῦντο.

Quem ad terrarum locum vox Σαρδιακόν referendum sit, variant veterum interpretum sententiae: scholiastes ad Ach. 112 et Apost. IV, 73 et Suidas perperam de Sardinia insula cogitaverunt; recte autem schol. ad pac. 1174 Sardis Lydorum intelligendas esse refert his verbis: Σαρδιακόν: διαφέρουσι γὰρ αἱ Λυδικαὶ βαφαί.

Addam huic dissertationis parti locutiones, quae a natura locorum ortae sunt.

Q. Curtius Rufus de reb. gest. Alex. M. 7, 8, 23 narrat, Scytharum solitudines a Graecis etiam proverbiis elusas esse. Proverbium, quod Curtius dixit, est Σκυθῶν ἐρημία, ab Aristophane in Ach. 704 commemoratum. Quodsi schol. ad h. l. ad proverbium explicandum narrat, propter bestias fuisse horribilem Scytharum solitudinem, haec interpretatio non recta habenda est, quoniam Scytharum solitudines non eam ob causam proverbii locum obtinebant, quod multae bestiae in eis erant, sed ob id, quod vastae et desertae erant, ut Macarius VII, 66 recte annotat: ἐπὶ τῶν ἐρήμων καὶ ἐξηγριωμένων τόπων. Hanc interpretationem comprobant verba in av. 1484 ἡ λύχνων ἐρημία, lucernarum solitudo; quibus verbis poeta illam locutionem attigit; significat enim eam urbis Athenarum regionem, in qua nemo in publicum nocte prodiret; quapropter ea regio tenebricosa erat, nam temporibus poetae nostri lumina, quae nocturno tempore in viis lucerent, Graecis ignota erant; qui nocte in viam prodibat, ei faces a servis praeferebantur. Vim translatam hujus locutionis notatam legimus in App. 7,43: ἐπὶ τῶν ἐρημουμένων ὑπό τινων καὶ τὰ ἐρημότερά φασι τῆς Σκυθίας ἐρημίας εἶναι. In eos igitur dicebatur locutio, qui in periculis ab amicorum subsidio prorsus se destitutos esse sentirent.

De Trophonii oraculo hoc proverbium sumptum in usu erat: ἐς Τροφωνίου μεμάντευται. In nub. 508 Strepsiades intraturus domum Socratis loquitur δέδοικ' ἐγὼ εἴσω καταβαίνειν ὥσπερ εἰ ἐς Τροφωνίου. Trophonii enim oraculum prope Lebadeam in Boeotia situm tam horribile foedumque erat,

ut vulgo dicerent, eum qui id adiisset, aliquamdiu ridere non posse; cf. Athen. 14,614 A. et Zenob. 3,61, ubi: φασὶ γὰρ τοὺς εἰς Τροφωνίου καταβαίνοντας ἀφαιρεῖσθαι τὸν γέλωτα. Quapropter vulgo ei qui severi tristesque essent, oraculum Trophonii adiisse dicebantur. Ea, quae vulgo de origine oraculi putabantur, pluribus verbis narrata legas, si placeat, in schol. Arist. h. l. et in App. 3,68. Qua locutione poetam usum esse ad Socratem sociosque ejus irridendos, apparet.

Difficile est dictu, quomodo res se habeat in versibus Lys. 295—301:

> ἰοὺ ἰοὺ τοῦ κάπνου
> ὡς δεινὸν, ὦναξ Ἡράκλεις,
> προςπεσὸν μ' ἐκ τῆς χύτρας
> ὥσπερ κύων λυττοῦσα τὠφθαλμὼ δάκνει
> κἄστιν γε Λήμνιον τὸ πῦρ
> τοῦτο πάσῃ μηχανῇ·
> οὐ γάρ ἂν ποθ' ὧδ' ὀδὰξ ἔβρυκε τὰς λήμας ἐμοῦ.

Sic questi sunt mariti, qui ardentes carbones portant, ut mulieres, quae in arce se muniverant, comburant. Quid verba Λήμνιον τὸ πῦρ significent, quaerendum est. Recte scholiastes codicis R annotavit, primum in concentu vocum Λήμνιον et λήμας jocum contineri, παρὰ τὰς λήμας τὸ Λήμνιον πέπαιχεν. Tum scholiastes cod. V dicit, istis verbis aut significari proverbium Λήμνιον κακόν, aut ignem vehementissimam, cum in Lemno insula officina Vulcani existimetur. Duae res igitur sunt, quae his verbis significari possunt secundum scholiastas; quae utraque comprobata est a Berglero et a Burmanno. Contra Engerus negat, hoc loco de proverbio cogitandum esse; tenendum enim esse in interpretatione, non licere poetae plures uno vocabulo res attingere, quo omnis sententiae vis tollatur. Quid proverbium significet, quod hoc loco poetam attigisse illi viri docti putant, intelligitur ex Zenob. IV, 91. Diog. VI, 2. G. C. M. IV, 13, ubi: ἀπὸ τῶν ἐν Λήμνῳ γυναικῶν, αἳ τοὺς ἄνδρας αὐτῶν ἀπέκτανον. Plura videas ap. Apost. X, 65. Proverbium commemorant Herodot. 6, 138 et Aesch. Choeph. 595. Nec

mihi verisimile est, poetam nostrum hoc loco proverbii mentionem facere voluisse.

Denique in equ. 137, ubi verba, quae sunt μετὰ δὲ ταῦτ' ἀπόλλυται, ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπώλης ὁ Παφλαγών, ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων, ad Cleonem pertinent, utrum verba Κοκλοβόρου φωνὴν ἔχειν locutionem proverbialem contineant an metaphoram a poeta nostro formatam, decerni non potest. Cycloborus est fluvius Atticae. Apud paroemiographos nihil de his verbis explicatum reperi; Suidas autem s. v. Κυκλοβ. jam explicat locutionem per: ἐπὶ τῶν κακοφώντων ὁ λόγος, διὰ τὴν ἦχον τοῦ ποταμοῦ. cf. Erasm. p. 525: „de clamosis et vehementer obstreperis dicebatur, aut quibus vox esset vitiosa raucaqae". Cum veterum testimonia nos deficiant, non affirmaverim, illam locutionem fuisse proverbialem, quamvis nemo negare possit, ei speciem proverbii non deesse.

Alter hujus partis locus est, ut de proverbiis locutionibusque ab hominum singulorum indole moribusque petitis disputem.

Cum in aliis partibus, tum in hac difficile est cognoscere, quae locutiones habendae sint proverbiales. Nam cum Aristophanes id maxime studuerit, ut corruptos hominum mores castigaret, non facile erit judicare, utrum locutio ab eo ipso ad irridendum aliquem formata sit, an locutio in ore vulgi jam vulgata fuerit et a poeta usurpata tantum sit. Exempli causa nonnullas locutiones afferam, quae a poeta demum irrisus causa formatae esse mihi videntur.

In ran. 1125,6 leguntur verba

εὐδαίμων ἄρ' ἦν,
εἰ κἀστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου,

quae verba Euripides, de Oedipodis fato loquitur, i. e. Oedipus felix fuisset, etiamsi cum Erasinida ad bellum profectus esset. Quae verba quid sibi velint, haec sunt: Erasinidas erat unus ex numero ducum, qui proelium illud apud Arginusas insulas commiserant; Athenas reversus una cum sex collegis in vincula conjectus capitisque damnatus est. Cum

proelium apud Arginusas insulas anno 406. a. Chr. n. commissum sit, et haec comoedia, in qua hujus facti mentio fit, anno proximo acta sit, nemo dubitare potest, quin haec locutio nondum vulgata fuerit, sed a poeta demum sit formata. Utrum locutio abhinc in proverbii consuetudinem abierit, necne, affirmari non potest, quia testimonia veterum desint. Nam etsi Suidas eam per ἐπὶ τῶν δυςτυχῶν explicat, qua ex re colligi potest, Suidae locutionem proverbialem visam esse itemque Erasm. p. 482 eam in adagia receperit, hi tamen viri, nisi auctoritate scholiastarum vel paroemiographorum veterum nituntur, auctores nobis non esse debent, locutionem esse proverbialem.

Similiter res se habet in plut. 84, ubi Chremylus Plutum interrogat, unde veniat: πόθεν οὖν, φράσον, αὐχμῶν βαδίζεις; tum ille: ἐκ Πατροκλέους ἔρχομαι ὅς οὐκ ἐλούσατ' ἐξ ὅτου περ ἐγένετο, ubi scholiastes de Patrocle haec refert: εἷς ἦν τῶν τὸ Λακωνικὸν βίον ζηλούντων Ἀθηναίων, πλούσιος μὲν σφόδρα, ἄλλως δὲ κακόβιός τις καὶ φιλοχρήματος καὶ σκνιφὸς κωμῳδεῖται ὡς καὶ ἐν τοῖς Πελαργοῖς (cf. frgmt. 386) εἴρηται περὶ τούτου, ὅστις ἕνεκεν τῆς φειδωλίας οὐδένα εἴα προσίεσθαι φυλακῆς ἕνεκα τῶν χρημάτων καὶ γλίσχρου βίου. Ad demonstrandum, in illis verbis locutionem proverbialem contineri, et non irrisum, quo poeta Patroclem castigaverit, nullius momenti mihi esse videntur, quae Suidas s. v. Πατρ. refert: καὶ παροιμία, ἐκ Πατροκλέους, ἐπὶ τῶν ῥυπώντων καὶ αὐχμηρῶν, quia cetera quae addit ex scholiis Arist. deprompta esse manifestum est, nec tamen scholiastes locutionem vocavit proverbialem. Neque eo, quod Apostolius XIII, 100 eadem verba in numero proverbiorum posuit, persuaderi mihi potest, ut ea pro proverbio habeam. Irridendi causa poeta illa verba dixisse mihi videtur. Quamquam confiteor, si vetustiora testimonia adessent, dici solitum esse, qui avare et sordide viverent, vitam Patroclis degere, me sine ulla dubitatione crediturum esse, illam locutionem proverbii locum obtinere. Cum autem scholiastae, qui tam accurate de Patrocle disseruerunt, locutionem proverbialem non vocent, sed Suidas demum et Apostolius, qui scholia exscripserunt, non est, cur eam in

numero proverbiorum ponamus. Qua ex re intelligitur, quam parva fides Suidae et Apostolio sit habenda.

De persona Patroclis disseruit Fritzschius in quaest. Aristoph. I, 80.

Ut alios omittam, hos tantum locos afferre libet, quibus Aristophanes homines singulos irridet castigatque: propter mollitiam luxuriamque Morychum quendam in vesp. 505 et 1142 (quem Zenob. V, 13 et Mac. VI, 8. et M. P. III, 25 notaverunt, is alius esse videtur quippe qui propter stultitiam proverbii locum obtineat, quod est μωρότερος εἶ Μορύχου.); propter ignaviam Phrynichum tragicum in vesp. 1490 et Eucratem in equ. 254; Epicratem in eccles. 71 et Phormisium quendam in eccles. 97 propter barbam; deinde Cercinum tragicum poetam cum tribus filiis in vesp. 1501—8 et pac. 780 — 96, Chaerephontem Socratis discipulum in vesp. 1408; Molonem in ran. 55 propter parvam corporis staturam. Sed finis exemplis hujus generis enumerandis imponendus est, quoniam ea non proprie ad id pertinent, quod mihi propositum est, sed quasi laxo tantum vinculo cum eo sunt conjuncta.

Proverbiales vero locutiones a singulorum hominum indole moribusque vel aliis de causis petitae hae sunt: Tantali regis Phrygiae divitiae tantae existimabantur, ut proverbio celebrarentur, ut legitur ap. Phot p. 570,13, exscriptum ab Apost. 16,16 (cf. Arist. frgmt. 711): Ταντάλου τάλαντα: πλούσιος ὁ Φρὺξ Τάνταλος διεβεβόητο, Πλουτοῦς καὶ Διὸς λεγόμενος· κέχρηται δὲ τῇ παροιμίᾳ καὶ Ἀνακρέων ἐν γ'. γέγονε δὲ παρὰ τὸ ὄνομα τάλαντα, ὡς καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ εἴρηται „τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντελίζεται.“ Eandem locutionem commemoratam legimus in frgmt. Men. ap. Stob. floril. 22, 19 et 118,10: τὰ Ταντάλου τάλαντ' ἐκεῖνα λεγόμενα et ap. Plat Euthyphr. p. 11, D. Ingentes igitur divitiae vocabantur Ταντάλου τάλαντα, vel de hominibus ditissimis locutio in usu vulgi erat τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντελίζεται. Verba Aristophanis τὰ τ' Αἰσχίνου τάλαντα huc esse referenda, mihi non est verisimile.

Similiter etiam Midae divitiae, quem asini aures ha-

buisse dicebant, locum proverbii obtinebant, ut intelligitur ex plut. 286—7, ubi choro interroganti: ὄντως γὰρ ἔστι πλουσίοις ἡμῖν ἅπασιν εἶναι; Carion servus jocose sic respondet: νὴ τοὺς θεούς, Μίδαις μὲν οὖν, ἢν ὦτ' ὄνου λάβητε. Scholiastes pluribus verbis disseruit de Midae divitiis et asini auribus, quae huc afferre inutile est. Jam in Tyrtaei carminibus Midas commemoratus legitur, cf. Bergk, poet. lyr. Tyrt. 12,6:

οὐδ' εἰ —
πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω μάλιον.

Ap. G. C. L. III, 15 nomen Croesi additum legitur: τὸν Μίδου πλοῦτον καὶ Κροίσου· ἐπὶ τῶν ὑπερβολικῶς πλουτούντων, ut etiamnunc de hominibus ditissimis dicere solemus „ein Croesus." De auribus Midae regis qui plura cognoscere velit, legat Diog. V. III, 29 et Apost. XI, 65.

Propter egestatem in ore vulgi versabatur Connas, tibicen clarissimus, qui saepius Olympiae victoriam de aemulis reportaverat, tanta autem inopia rerum ad victum necessariarum et tanta vinolentia erat, ut de eo dicerentur, quae in equ. 534 legimus:

ἀλλὰ γέρων ὢν περιέρρει,
ὥσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψῃ δ' ἀπολωλώς.

Pertinent haec verba ad Cratinum, clarissimum comoediarum scriptorem Atheniensem. Aristophanes Athenienses graviter accusat ob ingratum in Cratinum animum; nam Cratinum, cum antea populum permultis comoediis delectaverit, et auctoritate floruerit amplissima, tum senem esse neglectum neque conditione meliore quam Connam tibicinem. Non temere dictae sunt a poeta voces, quae sunt αὖος et δίψα; illa enim significat senectutem Cratini, hac castigatur vinolentia ejus, quae saepius notata legitur, veluti in pac. 703 equ. 535. 700.

Sed ut redeam ad Connam. Scholiastes h. l. memoriae tradidit, quae Cratinus de eodem dixit:

ἔσθιε καὶ τῇ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ πολυστέφανός σε φιλήσῃ.

Quodsi Diog. IV, 26 et Mac. III, 24 proverbium praebent, quod est: Δελφὸς ἀνήρ, στέφανον μὲν ἔχει, δίψῃ δ' ἀπόλωλεν, explicatum his verbis: παρόσον οὗτοι διὰ τὸ μὲν ἱερᾶσθαι ἐστεφανωμένοι ἦσαν, τῶν δὲ ἐπιτηδείων ἠπόρουν, dijudicare non possum, utrum hoc proverbium ex eo, quod de Conna vulgatum erat, profectum sit, an illud ex hoc. cf. Bernhardii notam ad Suid. s. v. et Erasm. p. 311. Mentionem facit huius proverbii Lucian. de merc. cond. 28.

Alia locutio erat Κόννου ψῆφος in vesp. 675, ubi schol: οἷον τὸ μηδέν.

Propter flagitia Phrynondas quidam, qui tempore belli Peloponnesiaci Athenis fuit, tantopere erat infamatus, ut cognomen Phrynondae cuilibet scelesto homini daretur, veluti in Thesm. 861, ubi cum Mnesilochus vestibus mulieribus Helenam imitatus dixisset:

ἐμοὶ δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος
Σπάρτη, πατὴρ δὲ Τυνδάρεως,

mulierum una fraudem animadvertens respondet:

σοί γ' ὤλεθρε
πατὴρ ἐκεῖνός ἐστι; Φρυνώνδας μὲν οὖν,

quibus verbis dicit, illius patrem non Tyndareum esse, sed hominem aliquem nefarium. Voce Φρυνώνδας idem significari atque μιαρός vel πονηρός, refert etiam Suidas (cf. Arist. frgmt. 92) s. v.: Φρυνώνδας: τῶν ἐπὶ πονηρίᾳ διαβεβοημένων, ὃς ξένος ὢν κατὰ τὰ Πελοποννησιακὰ διέτριβεν Ἀθήνησιν. Ἀ Ἀμφιάρεῳ „ὦ μιαρὲ καὶ Φρυνώνδα καὶ πονηρὲ σύ." ἐκ τούτου τοὺς πονήρους Φρυνώνδας καλοῦσι. Eadem legas in schol. ad Aeschin. c. Ctesiph. p. 73,12. Scholiastes Luciani ad Alex. c. 4 narrat, etiam ab Eupole Phrynondam irrisum fuisse. In adnott. ad Apost. XVIII, 2 legimus exemplum, quod ex Liban. epist. 1038 petitum est: βοήθησον ἀνδρὶ χρηστῷ πολλὰς δεξαμένῳ προςβολὰς ὑπὸ Φρυνώνδου τινός. De Phrynonda disseruit Fritzschius in comm. ad Thesm. 861.

Item infamis erat Cillico quidam, qui ut divitias sibi pararet, patriam prodidit; quae ejus patria fuerit, utrum

Samos insula an Miletus oppidum, variant scholiastarum sententiae ad pac. 362. Quo loco Aristophanes hujus hominis in hoc sententiarum conexu mentionem facit: Trygaeus, qui Pacem deam ruderibus obtectam promere volebat, a Mercurio his verbis increpitus: ὦ μιαρὲ καὶ τολμηρὲ, τί ποιεῖν διανοεῖ; respondet: οὐδὲν πονηρὸν ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν. Quae ad verba explicanda afferenda sunt, quae in scholiis de Cillicone leguntur: πυνθανομένων δὲ πολλάκις αὐτοῦ τινων τί μέλλει ποιεῖν, ἔλεγε „πάντα ἀγαθά" εἰπὼν δὲ οὐδὲν πονηρὸν παρὰ προςδοκίαν ἐπήγαγε τὸ „ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν", ὡς εἰ εἶπεν οὐδὲν κακὸν ποιῶ ἀλλ' ἱεροσυλῶ. Inde proverbium ortum est ἀγαθὰ Κιλλικῶν, ap. Zenob. I, 3, quod de iis dicebatur, qui mala fraude divitias captarent, quemadmodum Cillico proditione patriae divitias sibi comparaverat, ut explicat G. C. M. I, 5: ἐπὶ τῶν οὐ καλῶς πλουτούντων. Nec tamen Aristophanis verba jam ad proverbium pertinere, sed ad ea, quae vulgo de Cillicone narrata sint, unde proverbium ortum est, apparet.

Propter eximiam stultitiam infames erant Mammacythus et Meletidas, et mulieres Charixena et Macco. Illos notatos legimus in ran. 991:

τέως δ' ἀβελτερώτατοι
κεχηνότες Μαμμάκυθοι
Μελητίδαι καθῆντο.

ubi Gaisfordius Μελητίδαι pro Μελιτίδαι librorum scripsit, quem Dindorfius secutus est. In scholiis Didymus haec ad interpretationem illorum nominum praebet: ὅτι Μαμμάκυθος καὶ Μελητίδης ἐπὶ μωρίᾳ διεβέβληντο, καθάπερ καὶ ὁ Βουταλίων καὶ ὁ Κόρυβος. Nomina igitur propria facta sunt appellativa, quae stultissimos homines significarent.

Charixenae mentio fit in eccles. 942—5, ubi anus lasciva ad adulescentem conversa dicit:

οἰμώζων ἄρα νὴ Δία σποδήσεις,
οὐγὰρ τἀπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστίν.
κατὰ τὸν νόμον ταῦτα ποιεῖν
ἔστι δίκαιον, εἰ δημοκρατούμεθα.

Quibus verbis quid anus dixerit, pluribus explicare decorum me vetat. Schol: εὐήθης καὶ μωρὰ ἡ Χαριξένη. Eadem mulier commemoratur ab Eustath. ad Hom. Il. B, 326, 44 et in Etym. M. 367, 21 et in App. prob. II, 82.

A nomine, quod est Graece Μακκώ, derivatum est verbum μακκοᾶν, significans idem atque desipere, in equ. 62

ὁ δ' αὐτὸν ὡς ὁρᾷ μεμακκοακότα
τέχνην πεποίηται.

Quae verba ad Cleonem pertinent, quomodo populum fraude decipiat. Recte scholiastes cod. R μακκοᾶν explicat per τὰ Μακκοῦς φρονοῦντα; contra inepta est alius scholiastae interpretatio, qui hanc vocem derivat ex μάταια κοεῖν i. e. νοεῖν.

Idem verbum occurrit in ejusdem fabulae versu 396, ubi haec leguntur:

οὐ δέδοιχ' ὑμᾶς, ἕως ἂν ζῇ τὸ βουλευτήριον
καὶ τὸ τοῦ δήμου πρόςωπον μακκοᾷ καθήμενον.

Simili ratione legimus de nomine Κοίσυρα petitum verbum, quod est ἐγκεκοισυρωμένην, in .nub. 48, ubi schol: περισσῶς κεκοσμημένην. Coesyra enim, uxor Pisistrati magna superbia luxuriaque erat eamque ob causam in ore vulgi versabatur; quapropter Strepsiades l. c. mulierem suam, quae luxuriose superbeque se gerebat, ἐγκεκοισυρωμένην appellat.

Ab Herculis voracitate, quam in pac. 741. ran. 551 notatam legimus, formata est locutio, quae est Ἡρακλῆς ξενίζεται in Lys. 928, ubi Cinesias, illusus ab uxore, quae de industria tempus terendo eorum, quae se illi praestituram esse promiserat, nihil praestabat, his verbis conquestus est: ἀλλ' τὸ πέος τόδ' Ἡρακλῆς ξενίζεται, quibus verbis significat, sibi idem contingere atque eis, qui Herculem exceperint et una cum eo cenent. Iis enim, qui cum Hercule edacissimo una cenabant, multum temporis exspectandum erat, quoad heros cibis esset satiatus cf. schol. ad Lys. 928, Apost. VIII, 63. Non satis locutio ab Erasmo p. 689 explicata est, qui dicit „dictitatum (sc. proverbium), ubi

quis diutius in convivio commorari videretur"; neque enim de his tantum dicebatur, sed omnino de eis qui in aliqua re perficienda diutius morarentur.

Acies oculorum Lyncei, qui expeditioni Argonautarum intererat, tanta erat, ut proverbii locum locutio obtineret, quae est βλέπειν ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως. Persaepe ea occurrit et apud Graecos et apud Latinos scriptores. Aristophanes usurpavit eam in plut. 210, ubi Chremylus Pluto caeco pollicetur, se a caecitate oculorum illum liberaturum esse, ita ut acrius visurus sit quam Lynceus. Occurrit eadem locutio et in frgmt. 258. Aciem oculorum Lyncei pulchre illustrat fabula, quam scholiastes ad plut. 210 narrat: τοσοῦτον δὲ ὀξυωπέστατος ἦν, ὡς καὶ δι' ἐλάτης ἰδεῖν Κάστορα δολοφονήσαντα τὸν ἀδελφόν. Eandem locutionem notatam legimus in App. prb. IV, 30. ap. Mac. VI, 41. in Meinek. frgmt. com. II, 1048.

III. De locutionibus, quae a rebus gestis natae sunt.

Athenienses cum bello Peloponnesiaco incolas Meli insulae obsiderent neque ferro cogere possent, ut sese dederent, omni commeatu prohibuerunt eos, ut fame tandem assequerentur, quod ferro non impetraverant. Quae fames tanta fuit, ut λιμός Μήλιος in proverbii consuetudinem abiret, significans famem vehementissimam; veluti in av. 186 τοὺς δ' αὖ θεοὺς ἀπολεῖτε λιμῷ Μηλίῳ, quae verba Peithetaerus ad upupam conversus dicit in descriptione novi avium regni condendi et affirmandi. De Meli insulae expugnatione cf. Thuc. V. De locutione disseruerunt Zenob. 4,94, Diog. 6,14. lexicographi Suidas et Hesychius.

Ab expugnato castello Phyle locutio orta est, quae in plut. 1146 legitur: μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φύλην κατέλαβες, ἀλλὰ ξύνοικον πρὸς θεῶν δέξασθέ με, quae verba Mercurius ad Carionem servum conversus loquitur, cibum petens. Ubi schol: ἀντὶ τοῦ εἰ καὶ ἐπλούτησας, μὴ ἐπαρθῇς, μὴ μέγα φρονήσῃς.

Quibus verbis quae res gesta significata sit, nemini

ignotum est, qui leviter tantum notitia historiae Graecae imbutus sit. Dicebatur locutio de eis, quorum res in meliorem conditionem pervenissent. Admonendum est, quam celeriter locutio proverbio increbruerit; nec tamen est, quod quisquam dubitet, quin proverbialis sit, quia scholiastae et paroemiographi eam in numero proverbiorum posuerunt. Sed id dubitari potest, utrum locutio jam Aristophanis temporibus proverbialis fuerit an a poeta formata ex comoedia in proverbii usum abierit. Quae res difficillima est ad judicandum.

Simili ratione res se habet in nub. 186, ubi Strepsiades admiratione stupens cum Socratis discipulos videret, quorum facies sordida miserabilisque erat, et interrogatus, cur stuperet (τί ἐθαύμασας; τῷ σοι δοκοῦσιν εἰκέναι) haec respondit: τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι, τοῖς Λακωνικοῖς. Quae locutio sive jam proverbialis a poeta usurpata sive demum formata est, posthac quidem proverbii locum obtinuisse videtur, de eis dicta, quorum species sordida et miserabilis esset, ut legimus in App. II, 74: παροιμία ἐπὶ τῶν ὠχριώντων καὶ ἰσχνῶν. Locutionem ex clade Lacedaemoniorum apud Pylum accepta natam esse, apparet.

Notum est praeclarum illud Periclis, qui cum Lacedaemoniorum ducem decem talentis corripuisset, ut urbi Atheniensium parceret, in ratione reddenda celavit, quem in usum ea consumpsisset, dicens tantum ἐς τὸ δέον; de quo cf. Plut. Per. 22,13. Thuc. 2,21. Paulo post percrebruerat ea locutio et in ore omnium erat; velut in nub. 859, ubi Phidippides filius patrem rogat: τὰς δ' ἐμβάδας ποῖ τέτροφα ὠνόητε σύ; et Strepsiades: ὥσπερ Περικλῆς ἐς τὸ δέον ἀπώλεσα. Jocose ἀνώλεσα in ἀπώλεσα mutatum est, ut Strepiades apertius indicaret, se pro nihilo calceos abjecisse et Socrate ejusque discipulis deceptum esse. Disputaveru de proverbio Zenob. III, 91. Mac. III, 62. Suid s. v.

Simili ratione orta est locutio τῶν τριῶν κακῶν ἕ quam Photius p. 613,4 et Suidas commemorant: λεγόμει τι ἐστί· ταῦτα δὲ εἶναι λέγουσιν ἃ Θηραμένης ὥρισε προστιμήμα Ἀ. Τριφάλητι (cf. frgmt. 466) „ἐγὼ γὰρ ἀπὸ Θηραμένου δέδο τὰ τρία ταυτί.“ Similiter Hesychius: τῶν τριῶν ἕν· Θηραμ

ἐψηφίσατο τρεῖς τιμωρίας κατὰ τῶν παρὰ νομόν τι δρώντων. Quae fuerint haec tria mala, scholiastes ad ran. 541 refert: δοκεῖ δὲ οὗτος (sc. Theramenes) καὶ τὰ τρία ψηφίσασθαι ἐπιζήμια, ἢ δεσμεύεσθαι ἐν τῷ ξύλῳ, ἢ πιεῖν κώνειον ἢ ἐκφυγεῖν.

Denique disputandum mihi est de verbis, quae sunt in av. 13 – 16: ἢ δεινὰ νὼ δέδρακεν οὐχ τῶν ὀρνέων
ὁ πινακοπώλης Φιλοκράτης μελαγχολῶν,
ὃς τώδ' ἔφασκε νῷν φράσειν τὸν Τηρέα
τὸν ἔποφ', ὃ ς ὄ ρ ν ι ς ἐ γ έ ν ε τ' ἐ κ τ ῶ ν ὀ ρ ν έ ω ν.

Quibus verbis Euelpides queritur, se a Philoclcone nundinatore avium deceptum esse; nam aves, quas ab illo emerit, nescire locum, quo Tereus habitet, tametsi ille pollicitus sit, aves eum inventuras esse. Haec omnia plana et aperta sunt; sed quid verba ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τῶν ὀρνέων significent et quomodo sint explicanda, valde virorum doctorum sententiae variant. Fritzschius enim censet, ea verba sic explicanda esse: „qui rex avium factus est ab aviculis", quae interpretatio minime mihi probatur. Deinde Koechlyus sequens scholiastae interpretationem emendavit ea verba in ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐ ξ ἀ ν δ ρ ό ς π ο τ ε, quae emendatio quanquam intellectu non caret, tamen nimis a codicum lectione remota est. Denique Cobetus et Meinekius totum versum rejiciunt; neque G. Dindorfius, cui eidem illa verba suspecta sunt, in ed. I. poet. scen. gr. Lips. 1869 locum corruptum sanavit. Solus G. Hermannus in opusc. VIII, p. 309—10 de his verbis recte judicasse mihi videtur. Is enim corrigi ea vult in ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τῶν 'Ο ρ ν ε ῶ ν, quibus verbis locutio proverbialis insit. Orneae enim oppidum Peloponnesi sunt, ex quo incolae, oppugnati a Lacedaemoniis, nocte subito discesserunt, ut hostes proximo die oppidum omnibus defensoribus privatum facile expugnarent, neque scirent, quo incolae effugissent, ut Thuc. VI, 7 memoriae tradidit. Quapropter ex illo tempore locutio, quae est ὄρνις ἐγένετο ἐκ τῶν 'Ορνεῶν, orta est et in proverbii consuetudinem pervenit, de iis dicta, qui subito effugissent, ut nesciret quisquam, quo effugissent. Quam locutionem si proverbialem fuisse et in illis verbis a poeta adhibitam esse

comprobamus, ille versus non jam suspectus est. Nam Euelpides dicit, se Tereum quaerere, cujus domicilium nesciat.

IV. De locutionibus promptis ex fabulis fictis.

Ex fabula orta esse videtur locutio quae est ὁ Διὸς Κόρινθος in ran. 439, ubi Xanthias servus, qui Bacchum ad inferos proficiscentem comitatur et sarcinas humeris portat, onere sarcinarum oppressus queritur, viam tam longam esse seque paululum requiescere non posse. Deinde Bacchus paululum constitit, ut quaereret, num mox ad Plutonis domum perventurus esset, et cum comperisset, se jam prope Plutonis domum esse, servum jubet sarcinas — quas ille interea jam deposuerat — iterum humeris imponere (αἴροι' ἂν αὖθις, ὦ παῖ). Tum servus indignatus ea de re interrogat: τοῦτο τί ἦν τὸ πρᾶγμα; ἀλλ' ἢ Διὸς Κόρινθος ἐν τοῖς στρώμασιν; ubi schol. de verbis Διὸς Κόρινθος haec: παροιμία ἐπὶ τῶν τὰ αὐτὰ συνεχῶς λεγόντων. Unde orta sit locutio, sic apud eundem scholiastam explicatum legimus: Μεγαρεῖς συνῴκουν Κορινθίοις καὶ πολλὰ πάσχοντες κακῶς ὑπ' αὐτῶν ἀπέστησαν· εἶτα πρὸς αὐτοὺς ἀπελθόντες πρέσβεις ἠξίουν ἐπανελθεῖν καὶ συνεχῶς ἔλεγον, ὁ Διὸς Κόρινθος ὑμᾶς ποθεῖ, ὁ Διὸς Κόρινθος δι' ὑμᾶς λυπεῖται, καὶ συνεχῶς τὸ ὁ Διὸς Κόρινθος ἔλεγον· ὅθεν εἰς τὴν παροιμίαν ἦλθον ἐπὶ τῶν πάνυ τὸ αὐτὸ ποιούντων. Quis Κόρινθος fuerit, si quaeras, scholiastes idem refert, Corinthum fuisse filium Jovis et regem Corinthi oppidi. Idem significat locutio quae est τὸ αὐτὸ ᾄδεις ᾆσμα; cui cognata est Latina, ap. Ter. Phorm. 495: „eandem cantilenam canis." Neque dissimilis nostra est „es ist immer die alte Leier".

Locutio Διὸς Κόρινθος iterum legitur in eccles. 823—29:

> τὸ δ' ἔναγχος οὐχ ἅπαντες ἡμεῖς ὤμνυμεν
> τάλαντ' ἔσεσθαι πεντακόσια τῇ πόλει
> τῆς τετταρακοστῆς, ἣν ἐπόρισ' Εὐριπίδης;
> κεὐθὺς κατεχρύσου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην
> ὅτε δὴ δ' ἀνασκοπουμένοις ἐφαίνετο
> ὁ Διὸς Κόρινθος καὶ τὸ πρᾶγμ' οὐκ ἤρεσεν,
> πάλιν κατεπίττου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην.

Pertinent ea verba ad id, quod Athenienses celeriter atque temere consilia capere solebant; cum autem consiliorum, quae ceperant, pigeret eos, saepe ea irrita faciebant. Sermo est hoc loco de consulto tributi cujusdam ex censu conferendi; quod Athenienses constituerunt, ut rebus publicis afflictis mederentur. Sed cum quisque domi consilium captum iterum secum reputasset, et necesse esset, tributum ex censu constitutum solvere, omnes consilii capti piguit; et Euripidem qui eam rogationem ad populum tulerat eamque ob causam primo laudibus elatus erat, tum omnes detestati exsecratique sunt. Haec illorum versuum sententia mihi esse videtur; quapropter comprobo in versu 828 Scaligeri emendationem, qua ἤρεσεν pro ἤρκεσεν codicum legitur.

Etiam in Tagenistis Aristophanem proverbio ὁ Διὸς Κόρινθος usum esse, tradidit scholiastes Platonis p. 368. cf. frgmt. Arist. 434. Disseruerunt de proverbio Zenob. III, 21. Apost. VI, 17. XII, 30. Erasm. p. 293.

Utrum in Lys. 138—9, ubi Lysistrate de genere mulierum haec dicit:

οὐκ ἐτὸς ἀφ' ἡμῶν εἰσιν αἱ τραγῳδίαι·
οὐδὲν γάρ ἐσμεν πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη,

locutio proverbialis contineatur an verba Ποσειδῶν καὶ σκάφη dicta tantum sint, ut poeta fabulae mentionem faceret, quam Sophocles in tragoedia Τυρώ, ut in scholiis explicatur, de Neptuno narraverat, dubium est. Scholiastes enim cod. R refert, haec verba pertinere ad fabulam, quam Sophocles in tragoedia Τυρώ de Neptuno narraverit, et explicat ea verba sic: ἀντὶ τοῦ πλήν τῷ βουλομένῳ μίγνυσθαι· ὁ γὰρ Ποσειδῶν κατά τινας λαβὼν εἰς σκάφος Μελανίππην συνῆλθεν. Quibus ex verbis obscena illorum verborum sententia elucet. Sed idem scholiastes eodem loco haec addit: ἔστι δὲ καὶ παροιμία ἐπὶ τῶν κυλινδομένων τῷ αὐτῷ πράγματι, ἄλλο δὲ μηδέν νοεῖν ἀνεχομένων. Nec tamen poeta illis verbis ad proverbium spectasse videtur. Mirum est, quod paroemiographi de hoc proverbio nihil referunt.

Alia proverbialis locutio est, quam in plut. 1125—27 legimus, ubi postquam Mercurius questus est, quod homines,

Pluti dei oculis restitutis, desierunt sacra facere deis (οἴμοι τάλας, οἴμοι πλακοῦντος τοῦ 'ν τετράδι πεπεμμένου), Carion servus respondet dicens:

ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.

Cujus locutionis originem et significationem sic explicatam apud scholiastam legimus: Ἡρακλῆς πλέων μετὰ τῆς Ἀργοῦς εἰς Κόλχους σὺν Ἰάσονι ἐν Κίῳ τῇ Νήσῳ ἐξελθὼν, καὶ πέμψας τὸν ἐρώμενον αὐτοῦ Ὕλλαν ὕδωρ ἀντλῆσαι, περιέμενεν αὐτόν· τοῦ δὲ ὑπὸ Νυμφῶν ἁρπασθέντος, Ἡρακλῆς πολὺν χρόνον ἐζήτει· ὕστερον δὲ ὑπό τινος αἰθερίας φωνῆς ἤκουσε „ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα, καὶ μάτην καλεῖς". ἐλήφθη οὖν τοῦτο εἰς παροιμίαν ἐπὶ τῶν μάτην προςδοκούντων. Comprobo, quae Duebnerus in adnott. crit. ad h. l. schol. in ed. Paris. 1854 de hoc proverbio disseruit „versus autem ille proverbialis de veterum cujusdam tragoedia sine dubio derivatus, ubi Herculem, ut ab Hyla incassum quaerendo desisteret, vox coelo missa monuit, ποθεῖς τὸν οὐ παρ κ μ. κ., quae sententia tanto opere spectatoribus arrisit, ut paroemiae vulgaris privilegio donaretur."

Ex fabula itam orta est locutio Διομήδεια ἀνάγκη in eccles. 1023, ubi anus lasciva adulescentem adhortata est, ut se domum prosequeretur (δεῦρ' ἀκολουθεῖν ὡς ἐμέ). Tum adulescens: καὶ ταῦτ' ἀνάγκη μοὐστί; et illa: Διομήδειά γε. Sententia locutionis facilis est ad explicandum; ea enim est, quam legimus ap. Apost. VI, 15 et Zenob. III, 8 et Suid. s. v.: ἐπὶ τῶν κατὰ ἀνάγκην τινὰ πρασσόντων, vel ut Erasmus p. 232 b explicat „de iis dicta, qui vi adacti, non sponte quid faciunt." Origo varie ab interpretibus traditur. Scholiastes Arist. enim sic eam narrat: ὅτι Διομήδης ὁ Θρᾴξ, πόρνας ἔχων θυγατέρας, τοὺς παριόντας ξένους ἐβιάζετο αὐταῖς σ νεῖναι, ἕως οὗ κόρον σχῶσι καὶ ἀναλωθῶσιν οἱ ἄνδρες· ὡς καὶ μῦθος ἵππους ἀνθρωποφάγους εἶπεν. Contra scholiastes Plator rep. 6. p. 493 D, quem Apost. et Zenob. exscripserunt, ı notavit, originem ex eo ducendam esse, quod Diome Tydides cum una cum Ulixe palladium Trojanorum puisset timens, ne in castra rediens ab Ulixe neca hunc coegisset, ut antecederet sibi. Cf. Erasm. p. 23 utramque interpretationem recepit.

Locutio, quae est Ἄϊδος κυνῆ, de eis dicebatur, qui aliqua ratione se occulerent. Legimus eam in Ach 388—90, ubi chorus senum Dicaeopolin tergiversantem admonet, ut ab Hieronymo poeta caesariem petat, quam nimiam is alebat, et cui cognomen Ἄϊδος κυνῆ hoc loco adtribuitur; versus sunt hi: τί ταῦτα στρέφει τεχνάζεις τε καὶ πορίζεις τριβάς; λαβὲ δ' ἐμοῦ γ' ἕνεκα παρ' Ἱερωνύμου σκοτοδασυπυκνότριχα Ἄϊδος κυνῆν, ubi schol.: Ἄϊδος κυνῆ· παροιμία πρὸς τοὺς ἐπικρύπτοντας αὑτοὺς διά τινων μηχανημάτων· τοιαύτη γὰρ ἡ τοῦ Ἄϊδος κυνῆ, ᾗ Περσεὺς χρησάμενος τὴν Γόργονα ἐδειροτόμησεν. Similia legas ap. Diog. V. I, 16 et Zenob. I, 41. Quod galea tenebricosa existimabatur, propterea Orco adtributa est, veluti Hes. scut. Herc. 226: Ἄϊδος κυνέη ζόφον αἰνὸν ἔχουσα. Quam qui induerat, videri non poterat; propterea in Il. V, 845 Minerva, ne Mars se videre posset, galeam illam Orci sibi imposuit.

In pac. 122 Trygaeus in scarabaeo sedens jamque ad coelum profecturus filias lacrimas fundentes consolatur his verbis:

> ἢν δ' ἐγὼ εὖ πράξας ἔλθω πάλιν, ἕξετ' ἐν ὥρᾳ
> κολλύραν μεγάλην καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῇ,

de quibus Rohdew. l. c. bene sic disputat: „lepidissime et praeter exspectationem placentae, qua reversus ab itinere filias donaturus est, colaphum apposuit; quo joco proverbium a Polyphemo ortum tecte significat, qui vinum postulans ab Ulixe oculo privatus est: ἂν δ' οἶνον αἰτῇ, κόνδυλον αὐτῷ δίδου." Disputavit de proverbio G. C. L. I, 42: ἐπὶ τῶν ἀγαθὰ μὲν αἰτούντων, δεινὰ δὲ λαμβανόντων. cf. Apost. III, 2 et Zenob. I, 92. Imprimis de pueris dicebatur, qui petentes non petenda nonnunquam colaphos recipiunt, ut Erasm. p. 406 explicat, qui scholiastae Arist. ad h. l. interpretationem exscripsit, quae est: φαίνεται τὸ ἐπὶ τῶν παιδίων λεγόμενον ἀρχαῖον ὄν· „ἢν δ' οἶνον αἰτῇ κονδύλους αὐτῷ δίδου", ὑπὲρ τοῦ ἐθίζειν τοὺς παῖδας μηδέν τι περιττὸν αἰτεῖν.

Ex fabula quoque originem locutionis, quae sit μήλοις βάλλειν, in nub. 997, ducendam esse, Diogenianus 3, 63

explicat his verbis: παρῆκται (sc. παροιμία) ἀπὸ τῶν πεμφθέντων παρ' Ἱππομένους ἐπὶ Ἀταλάντην μήλων· προὔκειτο μὲν γὰρ ἔπαθλον τῷ νικῶντι τὴν Ἀταλάντην δρόμῳ ὁ ταύτης γάμος. Εἰς ἅμιλλαν γοῦν ὁ Ἱππομένης καταστὰς χρυσᾶ μῆλα πρότερον παρὰ τῆς Ἀφροδίτης λαβὼν, καὶ ταῦτα ῥίπτων αὐτῆς περιγέγονεν ἀσχολουμένης περὶ τὴν τῶν μήλων συλλογήν. Scholiastes haec tantum: ἀντὶ τοῦ ἔρωτι· μηλοβολεῖν γὰρ ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν· ἐπὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν. cf. Theocr. 5,88—89, et 6,6—7:

Βάλλει τοι, Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον, ἁ Γαλάτεια
Μάλοισιν, δυσέρωτα καὶ αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα,

quem locum Vergilius buc. 3,64 imitatus est: „malo me Galatea petit, lasciva puella".

Huc spectat locutio περὶ ὄνου σκιᾶς, quam in vesp. 191 legimus, ubi Philocleon ad Bdelycleonem conversus dicit: εἰ μή μ' ἐάσεσθ' ἥσυχον, μαχούμεθα. Tum Bdelycleon: περὶ τοῦ μαχεῖ νῷν δῆτα; et ille jocose respondet: περὶ ὄνου σκιᾶς. De origine locutionis scholiastes haec ex fabula prompta refert: adolescentem Atheniensem, qui Megaram vel Delphos (ut in App. IV, 26) iter facere constituisset, asinum sibi conduxisse ad sarcinas portandas; tempore meridiano cum solis ardores maximi essent, neque alicubi locus, qui umbram praeberet, in asinum ascendisse eum et sarcinas ita disposuisse, ut sub umbra sarcinarum asino insideret. Tum asinarium dixisse, non ea condition se asinum locasse, ut ille ipse eo uteretur, sed tantum ı sarcinae portarentur; adulescentem autem, asinum umbran que asini se conduxisse. Qua de re cum inter eos non co venisset, arbitros adiisse eos; unde illo ex tempore locuti nem περὶ ὄνου σκιᾶς μάχεσθαι in vulgus pervulgatam ess usurpatam de eis, qui de nihilo certarent. cf. Zenob. V 28. App. IV, 26. Iterum legitur locutio in frgmt. 23 quo ex Photio p. 338,15 haec translata sunt:

ὄνου σκιά. Ἀ. Λαιδάλῳ· α. περὶ τοῦ γὰρ ὑμῖν ὁ πόλεμος
νῦν ἐστι; β. περὶ ὄνου σκιᾶς.

Simile est apud nos „um des Kaisers Bart streiten."

Ex una fabularum, quae de animalibus vulgatae erant, orta est locutio ἀετὸν κάνθαρος μαιεύεται, quae in Lys. 694—5 in formam obscenae comparationis redacta est, ubi haec leguntur: ὡς εἰ καὶ μόνον μ' ἐρεῖς, ὑπερχολῶ γάρ, ἀετὸν τίκτοντα κάνθαρος σε μαιεύσομαι. Quae verba chorus mulierum ad senes conversus loquitur. Scholiastes multa de inimicitia, quae cantharo cum aquila erat, ex fabula prompta refert, quae huc afferenda non existimavi, cum non satis apta ad explicandam locutionis originem mihi viderentur. Melius Zenobius I, 20 de locutione disseruit: τὰ γὰρ ὠὰ τοῦ ἀετοῦ ἀφανίζουσι αἱ κάνθαραι κυλίοντες, ἐπεὶ οἱ ἀετοὶ τοὺς κανθάρους ἀναλέγουσι. De significatione locutionis quae ap. Diog. V, I, 65 leguntur, corrupta mihi esse videntur; recta sunt, quae in M. P. 1,2 notata sunt: ἐπὶ τῶν τιμωρουμένων τοὺς μείζονας κατάρξαντας κακοῦ. De eis igitur dicebatur locutio, qui potentiores, a quibus priores acceperunt injurias, ulciscerentur.

Etsi jam dissertatio de locutionibus ex fabulis fictis ortis finita sit, tamen hoc loco duas locutiones addere liceat, quarum altera ex oraculo orta est, altera originem ex carmine convivali, quod Graeci σκόλιον vocant, duxit. Atque illa locutio est ἀετὸς ἐν νεφέλαις, orta ex oraculo, quod Atheniensibus ab Apolline edictum erat his verbis, quae schol. ad. equ. 1013 refert:

Εὔδαιμον πτολίεθρον Ἀθηναίας ἀγελείης
Πολλὰ ἰδὸν καὶ πολλὰ παθὸν παὶ πολλὰ μογῆσαν,
Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι ἤματα πάντα.

Mentio fit locutionis in equit. 1013. av. 978, ubi usus ejusmodi est, ut nos effugere non possit, poetam consulto oraculi mentionem fecisse. Hanc locutionem esse alius generis atque eas, de quibus adhuc disseruerim, nemo est, qui non videat. Nostro in sermone ejus generis locutionibus cognomen adtribuimus quod est „geflügeltes Wort.“ Quanquam meritissimo hujus generis locutiones pro proverbiis habere non possumus, attamen eisdem affinitatem quandam cum proverbiis non deesse, scilicet quod vulgares sint, apparet.

Quare etiam Zenob. II, 50 eam in numero proverbiorum posuit. Occurrit eadem ap. Aristid. in Panath. 196,14.

Eodem modo res se habet in Lys. 631,2, ubi chorus senum de mulieribus haec dicit:

ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσ', ἐπεὶ φυλάξομαι
καὶ φορήσω τὸ ξίφος τὸ λοιπὸν ἐν μύρτου κλάδι,

ubi scholiastes annotavit, versum alterum ex carmine convivali depromptum esse, quod de Hermodio et Aristogitone compositum esset; cujus auctorem Callistratum fuisse, intelligimus ex adnott. ad App. II, 64.

V. De locutionibus proverbialibus, quae ab institutis quibusdam profectae sunt.

De certamine prompta est locutio, quae est ἄγων σκῆψιν οὐ δέχεται, cujus mentio fit in Ach. 392, ubi chorus Acharnensium Dicaeopolin tergiversantem sic alloquitur:

τί ταῦτα στρέφει τεχνάζεις τε καὶ πορίζεις τριβάς;
λαβὲ δ' ἐμοῦ γ' ἕνεκα παρ' Ἱερωνύμου
σκοτοδασυποκνότριχά τιν' Ἄϊδος κυνῆν.
εἶτ' ἐξάνοιγε μηχανὰς τὰς Σισύφου
ὡς σκῆψιν ἀγὼν οὗτος οὐκ ἐσδέξεται.

Forma locutionis varia erat: eandem legimus ap. Suid. s. v. ἀγών: παροιμία· „ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις“· τάττεται ἐπὶ τῶν μηδέν ὀνιναμένων, εἰ σκήψαιντο. Idem alteram addit, quae est ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει; tertiam notavit schol. Platon. p. 370 (ed Bekker) ἀγὼν πρόφασιν οὐ δέχεται; denique Zenob. II, 45 scripsit ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἐπιδέχεται, οὔτε φιλία· His locutionibus omnibus, quamcunque formam habeant, tamen eandem sententiam subjectam esse, nemo est, qui non intellegat. Auctorem locutionis Ibycum Regium fuisse, memoriae tradidit Mylon paroemiographus ap. Zenob. l. c. Qua de re plura conferas in comment. ad Ibyci Reg. frgmt. XXIII (ed. Schneidewin.). Vis locutionis manifesta apertaque est; dicebatur enim de eis, qui periculum imminens

non fortiter audacterque subirent, sed quavis ratione devitare cuperent. Erasmus p. 555 interpretationem hanc praebet: „cum agitur periculo, non convenit tergiversari; aut si mavis, in praesentaneo periculo non oportet occasionem exspectare, quemadmodum aliis in rebus. Velut si quis in morbo capitali medicum operiatur insignem aut procul arcessendum“. Iterum legitur locutio in frgmt. 318 et Plat. de legg. 6.

A certamine cursus nonnullae metaphorae proverbiales profectae sunt, quae sunt ἀπὸ βαλβίδος, ἀπὸ γραμμῆς, ἀπὸ ὕσπληγος; quarum primam invenimus in vesp. 548, ubi Philocleon demonstare studet, judicum munus omnium esse jucundissimum:

καὶ μὴν εὐθύς γ' ἀπὸ βαλβίδων περὶ τῆς ἀρχῆς ἀποδείξω
τῆς ἡμετέρας ὡς οὐδεμιᾶς ἧττων ἐστὶν βασιλείας.

Orta est locutio ἀπὸ βαλβίδων a stadii carceribus, a quibus currere incipiebant; quapropter recte Zenob. II, 7 explicat eam per: οἷον ἀπὸ ἀρχῆς· Eadem occurrit in equ. 1159:

ἄφες ἀπὸ βαλβίδων ἐμέ τε καὶ τουτονί
ἵνα σ' εὖ ποιῶμεν ἐξ ἴσου.

Simili ratione a Dicaeopole in Ach. 483 locutio γραμμὴ δ' αὑτηί usurpata est, de qua Diog. II, 83 a haec dicit: ἀπὸ γραμμῆς αὐτῆς: ἐκ μεταφορᾶς τῶν τρεχόντων et Suid. s. v.: οἷον ἀπὸ ἀρχῆς· ἐκ μεταφορᾶς τῆς τῶν δρομέων ἀφετηρίας καὶ γραμμῆς, ἣν ἄφεσιν καὶ βαλβῖδα καλοῦσιν.

Similis locutio itemque a certamine cursus translata est ἀπὸ μιᾶς ὕσπληγος, cujus vocis forma dorica est ἀπὸ μιᾶς ὑσπλαγίδος, quae legitur in Lys. 1000, ubi nuncius Lacedaemone missus haec facta esse, refert:

ἆρχε . . . . Λαμπώ,
ἔπειτα τἄλλαι ταὶ κατὰ Σπάρταν ἁμᾶ
γυναῖκες ᾇπερ ἀπὸ μιᾶς ὑσπλαγίδος
ἀπήλααν τὼς ἄνδρας ἀπὸ τῶν ὑσσάκων,

quibus verbis nuncius refert, veluti in stadio, fune demisso, cursores omnes simul currere inciperent, ita Lacedaemone omnes mulieres eodem tempore negasse, se maritorum voluntati obsecuturas esse.

Hoc loco in mentem mihi venit locutionis, quae ex eodem fonte hausta est, in ran. 91, ubi haec leguntur:

μειρακύλλια . . . τραγῳδίας ποιοῦντα
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα

et in nub. 430, ubi Strepsiades a nubibus petit, ut facultatem dicendi sibe dent maximam:

ὦ δέσποιναι, δέομαι τοίνυν ὑμῶν τουτὶ πάνυ μικρόν
τῶν Ἑλλήνων εἶναί με λέγειν ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστον.

Quam difficile nobis sit dijudicare, utrum metaphora locum proverbii obtineat necne, plane perspicitur ex locutionibus, quae in ran. 992—1004 occurrunt:

τάδε μὲν λεύσσεις, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ.
σὺ δὲ τί, φέρε πρὸς ταῦτα λέξεις; μόνον ὅπως
μή σ' ὁ θυμὸς ἁρπάσας
ἐκτὸς οἴσει τῶν ἐλαῶν·
δεινὰ γὰρ κατηγόρηκεν·
ἀλλὰ ὅπως ὦ γεννάδα,
μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξεις,
ἀλλὰ συστείλας, ἄκροισι
χρώμενος τοῖς ἱστίοις,
εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις,
καὶ φυλάξεις,
ἡνίκ' ἂν τὸ πνεῦμα λεῖον
καὶ καθεστηκὸς λάβῃς.

Quae verba, postquam Euripides fabulas Aeschyli vituperavit, chorus ad Aeschylum conversus locutus est, adhortans ne purgans ea, quae sibi objecta essent, vehementius in Euripidem inveheretur. Continentur in illis versibus metaphorae duae, quarum prima est ἐκτὸς τῶν ἐλαῶν φέρεσθαι, altera συστείλας ἄκροισι χρώμενος τοῖς ἱστίοις εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις, illa a currendo, haec a navigando petita. Si scholiastarum annotationes deessent, non haberemus ex quo intelligamus, utrum metaphora proverbialis sit habenda necne. Sed valde fortuna nobis favit, quae scholiastarum annotationes nobis servaverit, ex quibus intelligimus, primam metaphoram proverbii locum obtinuisse. Verba scholiastae

haec sunt: ἀντὶ τοῦ ἐκτὸς τῶν ὡρισμένων λόγων. ἐν τῷ τέλει τοῦ τόπου οὗ ἐτελεῖτο ὁ δρόμος, ἐλαῖαι στιχηδὸν ἵσταντι, οὖσαι κατάντημα τοῦ δρόμου, καὶ οὐδεὶς ἐπέκεινα τούτων ἐχώρει. ὅστις οὖν πέρα τοῦ δέοντος ἔπραττέ τι, ἔλεγον ὡς ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν φέρεται. ἐπεκράτησε δὲ εἰς παροιμίαν. Alteram locutionem loco proverbii fuisse, scholiastae non referunt; quapropter hoc loco silentio praetereamus. Apud paroemiographos non omnes locutiones proverbiales notatas inveniri, etiam hoc exemplo docemur, quod proverbium ἐκτὸς τῶν ἐλαῶν φέρεσθαι omiserunt. Erasmum quidem proverbium non effugit, qui in p. 311, quid significet, sic explicat „ubi quis terminos praescriptos transgreditur, aut aliena usque ad rem pertinentia facit."

Metaphora digna, quae hoc loco notetur, legitur in ran. 1458—59, ubi postquam Bacchus narravit, Athenas urbem in summis miseriis versari, cum non optimi, sed pessimi cives rei publicae praeessent, Aeschylus admonitus ut aliquam viam et rationem reperiret, qua rebus publicis afflictis mederi posset, haec dixit: πῶς οὖν τις ἂν σώσειε τοιαύτην πόλιν, ᾗ μήτε χλαῖνα μήτε σισύρα συμφέρει; Metaphora ab eo translata est, cui neque sedet vestis, quam Graeci χλαῖνα vocant, neque ea, quam σισύρα vocant. i. e. cui omnino nulla vestis apta est. De metaphorae sententia scholiastes haec: ὁ δὲ νοῦς, μήτε χρηστὸς μήτε ὀχληρὸς πολίτης συμφέρει. Quae metaphora utrum per vulgus vulgata fuerit necne, quis est qui dijudicet, cum neque scholiastae neque paroemiographi de ea disseruerint? Attamen huic locutioni tanta proverbii species inesse mihi videtur, ut vel sine ullo veterum testimonio eam proverbialem vocare non dubitem.

Similiter de locutione judicandum mihi est, quae est κλυνὸν ποιεῖν τινά, notata in plut. 1061, ubi anus lasciva adulescentem, a quo primo quidem amabatur, tum autem irridebatur, his verbis alloquitur:

> ταλάντατ' ἀνδρῶν, οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς,
> πλυνόν με ποιῶν ἐν τοιούτοις ἀνδράσιν.

Neque locutionem ἀνθρακιᾶς τινος ἀπολαύειν proverbii

locum obtinuisse, testimoniis veterum affirmari potest, quae in equ. 781 occurrit, ubi narratur, Cleonem non aliam ob causam populo blandire et servire nisi ut quaestui eum habeat; quae sententia his verbis expressa est:

ὡς δ' οὐχὶ φιλεῖ σ' οὐδ' ἔστ' εὔνους, τοῦτ' αὐτό σε πρῶτα διδάξω,
ἀλλ' ἢ διὰ τοῦτ' αὐθ' ὁτιή σου τῆς ἀνθρακιᾶς ἀπολαύει.

Locutionem ἀνθρακιᾶς τινος ἀπολαύειν, quae mihi quidem proverbii speciem praebeat, in proverbii usu fuisse, quis est qui, testimoniis veterum nos deficientibus, pro certo affirmet?

Similiter proverbii locum obtinuisse mihi videtur locutio quae est ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς in Thesm. 94: τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς, et in equ. 277

ἀλλ' ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ.
ἢν δ' ἀναδείᾳ παρέλθῃ σε, ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

Dicebatur locutio de eis, qui ex certamine superiores discederent. Unde originem duxerit, scholiastes his verbis narrat: πυραμοῦς εἶδος πλακοῦντος ἐκ μέλιτος ἑφθοῦ καὶ πυρῶν πεφρυγμένων, ὡς καὶ σησαμοῦς τὸ διὰ σησάμων. ταῦτα δὲ ἐτίθεσαν ἆθλα τοῖς διαγρυπνηταῖς. εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς συμποσίοις ἁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τῆς ἕω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα. Sed locum proverbii locutionem obtinuisse neque scholiastae referunt neque paroemiographi. Athenaeus XV, 68,6 locutionem interpretatur per ἡμέτερον τὸ τερμάτιον, ubi merito Lobeckius Aglaoph. p. 1078 πεμμάτιον pro θέματιον, quod Boeckius probabat, reposuisse mihi videtur.

Veterum autem testimonio proverbialis erat locutio ἀφ' Ἑστίας ἄρχεσθαι, profecta ex Graecorum more, ut Vesta dea in omnibus sacris faciundis et precationibus prima omnium caelestium invocaretur. cf. Preller, grch. Myth. I. p. 271. Hinc locutio ἀφ' Ἑστίας ἄρχεσθαι proverbio increbruit, de iis rebus dicta, quae primae omnium agendae essent. Usurpavit eam Aristophanes in vesp. 846. cf. Zenob. I, 4, qui non recte eam explicat per: μετήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ δρωμένων· ἔθος γὰρ ἦν τῇ Ἑστίᾳ τὰς

ἀπαρχὰς ποιεῖσθαι. Neque enim propterea locutio orta est, quod Vestae frugum primitiae et animalium prima genita sacrificabantur, sed eam ob causam, quam modo explicui. Recte Apost. IV, 61 significationem hanc esse dicit: ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς τι πραττόντων.

Denique de locutionibus disputandum mihi est, quae ad ludendum talis pertinent, et ab Aristophane in ran. 970 attinguntur, ubi de Theramene haec dicta legimus:

Θηραμένης, σοφός γ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς ἐς τὰ πάντα,
ὃς ἣν κακοῖς που περιπέσῃ καὶ πλησίος παραστῇ
πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος.

Quibus verbis poeta animum commutabilem Theramenis castigat, qui ad motus fortunae se movere soleat, et quotiescunque in periculum inciderit, se ex eo aliqua ratione eripere sciat; quod idem jam in ran. 541 dixit:

τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
πρὸς τὸ μαλθακώτερον
δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι
καὶ φύσει Θηραμένους.

Sententia versuum illorum manifesta atque aperta est; sed quid verbis Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος significaverit Aristophanes, non facile est ad intelligendum. Quod ad explicandum necesse est exquirere, quae patria Theramenis fuerit. Omnes scholiastae consentiunt, Athenis eum non natum esse, sed ab Hagnone quodam adoptatum in civitatem Atheniensium receptum esse; qua ex urbe autem originem duxerit, varia nobis tradita sunt. Scholiastes enim ad ran. 970 refert: Κῷος δὲ ἐλέγετο εἶναι, i. e. Theramenem in insula Coo natum esse. In schol. autem recentiorum codicum legimus ad vers. ran. 541, in insula Chio eum natum esse: τῇ δὲ ἀληθείᾳ Χῖος ἦν. Denique tertium memoriae proditum est, insulam Ceam esse patriam Theramenis. cf. schol. cod. V ad. ran. 541: δοκεῖ δὲ ἀπὸ Κέω τῆς νήσου εἶναι, οὐκ εἶναι δὲ γνήσιος ἀλλὰ ποιητὸς υἱὸς τοῦ Ἄγνωνος. Eadem refert Demetrius in schol. ad ran. 970: ἐπιπλήττει δὲ αὐτῷ ὁ Δημήτριος, ὡς τελέως ἀγνοοῦντι ὅτι Κῖος ἦν (scilicet poeta is est, quem De-

metrius vituperavit); ubi scholiastes haec addit: παραλείπει δὲ ὅμως καὶ αὐτὸς (sc. Demetrius) ὅτι οὐδὲν ἧττον παρὰ τὴν ὑπόνοιαν εἴρηται ἀντὶ τοῦ Κῷος Κῖος. Tria igitur de patria Theramenis tradita sunt; atque nunc dijudicandum est, quo loco natus fuerit, utrum in insula Coo (Κῷος), an in insula Chio (Χῖος), an in insula Cea (Κεῖος, cujus vocis forma vulgaris est Κῖος). Quae ad dijudicanda magni est momenti quod Aristophanes verbis οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος locutiones attigit, quae ex ludendo talis ortae sunt.

Singulis enim talorum jactibus nomina erant, quorum duo sunt ὁ Χῖος βόλος et ὁ Κῷος βόλος, quae Suidas s. v. sic explicat: ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύνατο ἕν, ὁ δὲ Κῷος ἕξ. cf. Polluc. 7,205. 9,100 et Phot. Quorum qui Κῷος vocabatur, prosper habebatur, qui Χῖος, non prosper. Inde proverbium ortum est, quod est Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν in App. V, 28 vel Κῷος πρὸς Χῖον ap. Zenob. IV, 74 et Diog. V, 70, ubi haec pauca tantum: ὅταν ἐλάττονα πρὸς μείζονά τις παραβάλλῃ. Vis locutionis haec est: cum is jactus, quo numeri unus et sex missi erant, nihil valeret, proverbium de eis dicebatur, qui in tantis malis versarentur, ut quamvis aliquid prospere successisset eis, tamen ea de re propter molestiam rerum adversariarum gaudere non possent. Quibus expositis, ea res nun mihi exploranda est, quid de his ludendi talis locutionibus depromi possit ad explicanda ista verba οὐ Χῖος ἀλλά Κεῖος.

Constat, rectam esse lectionem Κεῖος vel Κῖος, quia cod V. praebet Κεῖος, celeri Κῖος. Etiam Eusthatium lectionem Κεῖος legisse, apparet ex schol. Od. A. 1397,39 οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος, καὶ νοητέον, ὡς ἢ ἔσφαλται ἡ γραφὴ τοῦ Κεῖος, ἢ ἀλλὰ παρῴδηται ὑπὸ τοῦ κωμικοῦ. Qua re demonstratur, ut infra videbimus, patriam Theramenis fuisse insulam Ceum, praesertim cum scholia cod. V, quae optima omnium praeter cod. R habenda sunt, hac in insula eum natum esse referant.

Nunc jam videamus, quomodo verba οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος iuterpretemur. Notum est, fortumam Therameni valde favisse, ut ex poetae verbis intelligitur:

ὃς ἢν κακοῖς που περιπέσῃ καὶ πλησίος παραστῇ
πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν,

quod idem scholiastes cod. R et Didymus in schol. referunt. Quod ut diceret, poeta locutiones Χῖος et Κῷος (sc. βόλος) adhibuit; nec tamen iis, ut erant, usus est, sed ut Theramenis patriam significaret, pro Κῷος scripsit Κεῖος.

Apparet, scholiastas, qui Theramenem Κῷος vel Χῖος vocent, verba illa non prorsus intellexisse.

Denique admonendum mihi est, Aristophanem non tetigisse proverbium ipsum, quod sit Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν vel Κῷς πρὸς Χῖον, sed locutiones tantum, ex quibus proverbium ortum sit, scilicet ὁ Χῖος et ὁ Κῷος βόλος.

Quodsi Didymus teste scholiasta verba οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος proverbii loco habuit (Δίδυμος δέ φησιν ὅτι δύναται καὶ τῆς παροιμίας μεμνῆσθαι, οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος), quem Welckerus script. min. II, 459 secutus est, jam nemini dubium esse potest, quin, cum Aristophanes voce Κεῖος patriam Theramenis significaverit, verba, quae Didymus pro proverbio habuit, proverbialia non sint.

Paucis ut complectar, quae de Theramene disserui, haec sunt: Theramenes in insula Cea natus est; quapropter Aristophanes attingens locutiones, quae sunt ὁ Χῖος et ὁ Κῷος βόλος, dixit οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος, ut significaret, fortunam Therameni ubique praesto fuisse.

Qui plura de Theramene cognoscere velit, legat Lys. κατ. Ἐρατοσθ. § 62—79.

Hoc loco crudele institutum commemorandum est, quod et nostris majoribus notum erat. Veteres enim servos gravissimis suppliciis afficiebant; quae ut facilius crudeliusque exercerent, instrumentis quibusdam utebantur, quorum unum est, quod Graece ξύλον vocatur. Erat hoc instrumentum ligneum et perforatum, in quod caput, manus, pedes servi puniendi inserebantur. Hac ex re locutio profecta est, quae est ἐξ ἀξίου ξύλου ἀπάγξασθαι, usurpata ab Aristophane in ran. 736, ubi chorus adhortatur Athenienses, ut optimos cives rei publicae praeficiant, non pessimos; nam si illis ducibus quicquam mali acciderit, certe

a bonis, non a malis civibus malum accepturos illos esse; quod his verbis dicitur:

κἄν τι σφαλῆτ', ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου
ἤν τι καὶ πάσχητε, πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε,

ubi schol: παρὰ τὴν παροιμίαν „ἀπὸ καλοῦ ξύλου κἂν ἀπάγξασθαι. θέλει οὖν λέγειν, βέλτιόν ἐστι χρῆσθαι τοῖς γενναίοις στρατηγοῖς ἢ τοῖς φαύλοις· κἂν γὰρ δέῃ παθεῖν, κρεῖττον ἀπ' ἀγαθοῦ ἢ φαύλου πάσχειν. cf. Apost. III, 34. App. prb. II, 67. Quod ad locutionis formam attinet, traditae sunt locutiones ἐξ ἀξίου ξύλου ἀπάγξασθαι et ἀπὸ καλοῦ ξ. ἀπ., quarum prior ap. Aristoph. et in App. prb. l. c. et ap. Aristid. oratt. p. 510 (286), 22, ubi: ἀλλ' οὖν τό γε τῆς παροιμίας ἐξ ἀξίου τοῦ ξύλου καὶ πάσχειν ὑπῆρχεν, εἴ τῳ συμβαίνοι, altera ap. schol. Arist. et Apost. l. c. legitur. Quomodo factum sit, ut ex verbis ἄξιος vel καλός et ἀπὸ ξύλου ἀπάγξασθαι locutio proverbialis oreretur, exquirere non potui. Apparet autem, locutionem aliquando qualibet in re ignota dictam fuisse atque inde in proverbii locum abiisse.

VI. De proverbiis locutionibusque a quotidianis hominum occupationibus artibusque quibusdam petitis.

Priusquam de locutionibus, quae a quotidianis hominum occupationibus petitae sunt, disseram, duae commemorandae sunt, quibus sententia communis de artificio inest; quarum alteram ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τεχνήν jam supra notavi; altera est:

τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργασαίατο;

quam Aristophanes in av. 1147 adhibet, ubi antecedentibus versibus, qui sunt: οἱ χῆνες ὑποτύπτοντες ὥσπερ ταῖς ἄμαις τὰς λεκανὰς ἐνέβαλλον αὐτοῖν τοῖν ποδοῖν propter vocem ποδοῖν sequens versus sic scriptus legitur:

τί δῆτα πόδες ἂν οὐκ ἂν ἐργασαίατο;

mutata voce χεῖρες in πόδες. Quae locutionis sententia si Erasm. p. 621 recte sic explicat: nihil esse rerum, quae arte, quod industria non efficiatur.

Jam accedam ad locutiones, quae ab hominum occ

pationibus quotidianis petitae sunt; ac primum de locutionibus disseram, quae de agricultura depromptae sunt.

Metaphoram quae est ἀλλότριον ἀμᾶν θέρος legimus in 392, ubi scholiastae nondum annotant, eam esse vulgarem. Diogenianus autem eam jam proverbii loco habuit, II, 75: ἐπὶ τῶν κατολιγωρούντων ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις ἢ τὰ ἀλλότρια καρπουμένων. Eandem locutionem Aristophanes in equ. 292 tetigisse videtur, dicens ἀλλότρια τοίνυν σοφίζει.

Hujusmodi metaphorae permultae sunt, quas locum proverbii obtinuisse paroemiographi auctores sunt; velut ap. Diog. II, 62 et G. C. M. I, 53: ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' ἀμήσονται, quae verba Nauckius in Schneidew. Philolog. II, 158 sic redintegranda esse in versum putat: ἄλλοι μὲν σπείρουσ', ἄλλοι δέ ποτ' ἀμήσονται, vel. ap. Diog. II, 13 et Zenob. I, 65: ἄλλοι κάμον, ἄλλοι ὤναντο· ἐπὶ τῶν παρ' ἐλπίδα τὰ ἀλλότρια κληρονομούντων. In Hes. Theog. 599: οἱ δ' . . . ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται. Ap. evang. Matth. XXV, 24: Κύριε, ἔγνων σε ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος, θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισας. Similes locutiones etiam apud Romanos sunt: ap. Plaut. Epid. II, 2,80: mihi istic nec seritur, nec metitur. Plaut. Merc. prol. 73: tibi aras, tibi seris, tibi eidem metis. Cic. Or. II, 65: ut sementem feceris ita metes. Liv. X, 24: Fabius, quam arborem consevisset, sub ea legere alium fructum, indignum esse dicere. Videmus, metaphoras a serendo et metendo translatas creberrimas esse; quarum non paucas in proverbii loco habendas esse paroemiographi docent. Quapropter etiam nostram locutionem proverbialem esse, affirmaverim, quamvis unus tantum auctor exstet, Diogenianus.

Altera locutio ab agricultura profecta est οὐ γὰρ ἄκανθαι, de qua Hesychius haec memoriae prodidit: παροιμία· 'Α. Σκηνὰς καταλαμβανούσαις „οὐδ' ἴσως ἀντέλεγες τούτῳ τῷ δειπνίῳ· οὐ γὰρ ἄκανθαι.“ cf. Arist. frgmt. 266 et 407. De origine et significatione hujus locutionis haec ap. G. C. M. 1,21 scripta legimus, ubi locutio ἀληλεσμένος βίος tractatur, cui eadem sententia inest ac nostrae: ἀληλεσμένος βίος·

ἐπὶ τῶν ἐν ἀφθονίᾳ τῶν ἐπιτηδείων ὄντων. Ἄλλη δὲ παροιμία φησί: οὐ γὰρ ἄκανθαι· ἔοικε δὲ ὑπομιμνήσκειν τὴν τοῦ βίου μεταβολήν, ἀγρίου καὶ ἀκανθώδους πρότερον ὄντος, πρὶν ἐπιμέλειαν τῆς γῆς καὶ τῶν σπερμάτων γενέσθαι. ὅθεν ἀπὸ τῆς ὕστερον ἐπιμελείας ῥηθῆναι τὸ ἀληλεσμένος βίος. Similem interpretationem praebet Erasmus p. 476 „οὐ γὰρ ἄκανθαι: i. e. non enim spinae. De conditione dicebatur in melius commutata. Sumpta metaphora a novalibus, quae repurgatis spinis frugiferae incipiunt esse. Recte quadrabit de negotio prius infrugifero ac molesto, unde postea capitur emolumentum."

A navigando profectae sunt hae locutiones πάντα κάλων ἐξιέναι et μετακυλίνδειν πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον, quarum illam in equ. 756, hanc in ran. 537. legimus. Quid illa locutio significet, apertum est; dicebatur enim de eis, qui summis viribus laborant. Forma locutionis varia erat; locutio κάλως ἐξιέναι propria vi legitur in Eur. Troa. 94, translata in Eur. Med. 278. Paroemiographi autem alias formas tradiderunt, veluti legimus ap. G. C. L. III, 4: πάντα κάλων ἐφέντες ἢ σείσαντες. ap. Apost. XIII, 88: πάντα κάλων σείειν. ap. G. C. M. II, 27 πάντα κάλων κινεῖς, qui eodem loco similes locutiones addit, quae sunt ἀντλεῖν ἀμφοτέραις (sc. χερσίν)· ἐπὶ τῶν σπουδῇ τι ποιούντων et καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ βοηθεῖν, cf. Mac. V, 5. Quamvis forma varia sit, tamen omnes locutiones idem significare, nemo est, qui non videat.

Altera a navigando petita locutio legitur in ran. 537, ut jam supra dixi; ubi cum Bacchus personam Xanthiae servi, quam antea metu commotus induerat, deposuisset, chorus haec dicit:

> ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
> νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας καὶ
> πολλὰ περιπεπλευκότος
> μετακυλίνδειν αὑτὸν ἀεὶ
> πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον
> μᾶλλον ἢ γεγραμμένην
> εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
> σχῆμα.

Scholiastes cod. V locutionem his verbis explicat: τὴν

μεταφορὰν εἶπεν ὡς ἐπὶ τοῦ ἐπιβάτου· ὅταν γὰρ ταραχθῇ ἡ θάλασσα καὶ κινδυνεύσῃ τὸ πλοῖον, ὁ ἐςβάτης σωφρονῶν τὸν μὲν ἕτερον τοῖχον ἐᾷ, εἰς τὲ τὸ ἕτερον μετακυλίνδει ἑαυτόν. Ab hoc quidem scholiasta nondum locutio proverbialis vocatur, sed in schol. codicum ceterorum praeter R et V scripta jam legimus: παροιμία δέ ἐστι πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον ῥέπειν, ἐπὶ τῶν λυσιτελοῦν αυτοῖς ἀεὶ στρεφομένων. Utrum scholiastae cod. R et V consulto an temere locutionem non notaverint proverbialem, quis est, qui dijudicare possit? Intelligimus ex hac quoque re, quam difficile nobis sit, dijudicare, utrum locutio proverbialis fuerit necne.

A mari translata est locutio, quam in ran. 304 legimus, ubi postquam formido, Graece Ἔμπουσα vocata, quae Baccho est Xanthiae servo timorem magnum injecerat, evanuit, Xanthias servus haec verba ad dominum conversus loquitur:

θάρρει· πάντ' ἀγαθὰ πεπράγαμεν,
ἔξεστί θ' ὥσπερ Ἡγέλοχος ἡμῖν λέγειν
ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ.
ἥμπουσα φρούδη.

Cum hoc loco et de proverbio et de voce γαλῆν disputandum mihi sit, primum proverbium explicabo, quod versu ultimo continetur. Erat metaphora vulgaris a mari translata:

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις· αὖ γαλήν' ὁρῶ,

quam Euripides in Or. 279 adhibuit; eadem occurrit ap. Arist. l. c., ubi schol: ἔστι δὲ παροιμία ἐπὶ τῶν διαφυγόντων τὰ λυπηρά. cf. Apost. VI, 88 d: ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις γαλήνην ὁρῶ: Εὐριπίδου. Qui quadecausa γαλήνην pro αὖ γαλήν', quae lectio in Eurip. Orest. 979 legitur, scripserit, non intellego.

Jam paucis explicandum est, cur Dindorfius pro codicum γαλήν' scripserit γαλῆν. Cujus emendationis causa haec fuit. Hegelochus enim histrio, qui Orestis partes agebat, teste scholasta, illum versum Orest. 279 recitans pro γαλήν' pronuntiaverat γαλῆν, et ita locutionis sententiam in risum converterat; cujus rei Aristophanem illo loco mentionem

facere voluisse, ex poetae verbis ipsis intelligitur. De pronuntiatione cf. Krüger, Grch. Gramm. § 6, 5, 1. Quapropter Dindorfius recte lectionem γαλήν' in γαλῆν mutavit.

De piscando deprompta est locutio, qua Bdelycleon in vesp. 175 usus est, ubi cum Philocleon quacunque ratione domo excedere cupiens per asinum frustra effugere conatus esset, Bdelycleon haec verba dixit: ἀλλ' οὐκ ἔσπασε ταύτηγ',quae verba scholiastes his explicat: οὐκ ἐπέτυχε παρὰ τὴν παροιμίαν „αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν.“ Non recta sunt quae scholiastes addit: ἐλέγετο δὲ ἐπὶ τῶν πείρᾳ καθιέντων ἄγκιστρον μετὰ σχοίνου καὶ μὴ ἐπιτυγχανόντων ἰχθύος τινός. Nam cum his verbis explicetur, unde locutio originem duxerit, non verba ἐλέγ. ἐπὶ τῶν κ. τ. λ. dicenda erant, sed μετήνεκται ἀπὸ τῶν κ. τ. λ.

Eadem locutio occurrit in Thesm. 928, ubi scholiastes recte annotavit, quid significet: παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπιχειρούντων τι ποιεῖν καὶ ἀποτυγχανόντων. cf. Eustath. ad. Il. IX, 423. G. C. M. I, 1. Diog. III, 35. Simile est illud Plautinum „lineam mittam“ most. 5,1,22 (1070), nihil aliud significans atque „dolo captabo“. — Paucis attingam, viros doctos dissentire, cui personarum versus, qui est Thesm. 928, adtribuendus sit. Secundum codices una ex mulieribus hunc versum elocuta est, quod comprobant Fritzschius et Rohdew. l. c. Contra Brunckius et Engerus et Dindorfius Mnesilochum istum versum eloquentem faciunt; neque immerito mea quidem sententia.

A balneatorum segnitie orta est locutio ἐμαυτῷ βαλανεύσω, in pac. 1103, quam scholiastes tantum per διακονήσω explicat. Ap. Zen. III, 58. autem legimus: παροιμία· οἱονεὶ ἐμαυτῷ διακονήσω. Λέγεται δὲ, ὅταν ὁ βαλανεὺς νωθρεύηται, καὶ ἑαυτῷ τις λαμβάνῃ τὴν ἀρύταιναν καὶ διακονῇ. cf. App. II, 53. G. C. M. III, 5. Erasm. p. 262. Inepta est altera interpretatio, quam ap. Zenob. l. c. legimus: ἢ ἀπὸ τῶν βαλάνους ἐγκρυβόντων εἰς πῦρ. Notum est, Graecos glandes torrere et edere solitos esse. Quapropter e vocum affinitate βαλάνου, quae glans est, et βαλανείου, quod balneum est, ambigna locutionis interpretatio orta est.

Similem metaphoram vulgarem commemorat Suidas s. v. παραλοῦμαι: παροιμιακῶς· εἰώθεσαν γὰρ πρότερον ἐν τοῖς βαλανείοις οἱ πλούσιοι παραλούειν τοὺς πένητας. Ἀριστοφ. Ἀναγύρῳ: „ἀλλὰ πάντας χρὴ παραλοῦσθαι καὶ τοὺς σπόγγους ἐᾶν. cf. frgmt. 150.

Accedimus ad locutionem, quam etsi neque scholiastae neque paroemiographi neque lexicographi ut proverbialem notaverint, tamen proverbii locum obtinuisse equidem existimo. Dico locutionem, quam in Lys. 443—4 legimus:

εἴ τἄρα νὴ τὴν Φωσφόρον τὴν χεῖρ' ἄκραν
ταύτῃ προσοίσεις, κύαθον αἰτήσεις τάχα.

Quae verba mulierum una loquitur in rixa, quae ei cum sene erat, quem poeta Πρόβουλος appellavit. Locutionem κύαθον αἰτήσεις τάχα explicat scholiastes per: ἵνα προσθῇς ταῖς γνάθοις (sc. κύαθον)· οὕτως ὑπωπισθήσῃ ὑφ' ἡμῶν· γέμουσι γὰρ κύαθον θερμοῦ, καὶ προσκολλῶσι τοῖς οἰδήμασι καὶ θεραπεύεται. Similia sunt in pac. 542: κυάθοις προσκείμεναι, quae verba idem significant atque quae proximo versu antea continentur: δαιμονίως ὑπωπιασμέναι. Quam locutionem, quanquam nullo veterum testimonio docemur fuisse vulgarem, tamen hoc loco silentio praeterire non potui, cum mihi quidem magna proverbii species ei inesse videatur.

Hoc loco proverbium afferre mihi liceat, quod est πρωκτὸς λουτροῦ περιγίγνεται, de quo quae Rohdew. l. c. disputavit comprobanda sunt: „proverbium ab eis petitum est, qui alvi profluvio laborant et operam perdunt in purgando, ita ut podex lotionem vincat, qui in ista victoria ipse maximum facit detrimentum, scilicet magis immunditiis magisque inquinatus et obtectus: proverbium recte et ridicula comparatione in omnes dici poterat, qui ipsorum damno in re inutili vincerent. Quare quae in vesp. 604 Bdelycleon patri de imperio suo praedicanti vaticinatur:

ἔμπλησο λέγων· πάντως γάρ τοι παύσει ποτὲ κἀναφανήσει
πρωκτὸς λουτροῦ περιγιγνόμενος τῆς ἀρχῆς τῆς περισέμνου·

in hanc sententiam accipienda sunt: 'profecto nihil verbosa tua disputatione consequeris nisi idem quod πρωκτός, qui lotionem vicerit.“ Quam interpretationem Rohdew. ex scholiis ad h. l. exhausit. Similiter de proverbio Diog. V.

III, 58 disputavit: ὅταν τις μὴ δύνηται ἀπονίψασθαι, ἀλλ' ἡ κοιλία αὐτῷ ἐπιφέρηται· λέγεται ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀνωφελῶς πραττομένων. cf. Apost. 14,78. App. IV, 61. Erasm. p. 273.

Huic obsceno proverbio aliud addam, quod item ad podicem spectat. In pac. 1228—31 legimus:

(Τρυγαῖος:) ἐναποπατεῖν γὰρ ἔστ' ἐπιτήδειος πάνυ (sc. ὁ θώραξ).
(Θωρακοπώλης:) παῦσαι μ' ὑβρίζειν τοῖς ἐμοῖσι χρήμασι.
(Τρυγαῖος:) ὡδί, παραθέντι τρεῖς λίθους,

ubi scholiastes annotat, poetam verbis τρεῖς λίθους locutionem tetigisse, quae sit

τρεῖς εἰσὶ ἱκανοὶ πρωκτὸν ἀπομάξαι λίθοι

cui interdum additus sit versus

ἂν ὦσι τραχεῖς, ἂν δὲ λεῖοι, τέτταρες.

De hujus generis locutionibus conferas quae Leutschius in adnott. ad App. IV, 61 disseruit: „Graeci cum essent diligentes post opus adsellatum podicis purgatores, facetias ab actu isto purgandi derivatas tam facile risu exceperunt, ut eum commemorare comici vehementer amarent. cf. Arist. Lysistr. 1035: ἀλλ' ἀποψήσω δ' ἐγὼ, καίτοι πάνυ πονηρὸς εἶ. ran. 490: ἐγώ δ' ἀνέστην καὶ προσέτ' ἀπεψησάμην· agebatur res spongiis non solum et alliorum foliis, sed etiam lapidibus.“

Sed redeat dissertatio, unde aberrăvit.

De arte e luto vasa fingendi prompta est locutio ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν, qua scholiastes Platonis p. 322 (ed. Bekk.) tradidit Aristophanem in comoedia, quae esset Προαγῶνες, usum esse, cf. frgmt. 81. Quid proverbium significet, veterum sententiae variant; Zenob. III, 65 et Diog. II, 65 haec tradunt: ἐπὶ τῶν τὰς πρώτας μὲν μαθήσεις ὑπερβαινόντων, ἁπτομένων δὲ εὐθέως τῶν μειζόνων· ὡς εἴ τις μανθάνει κεραμεύειν πρὶν ἂν μαθεῖν πίνακας ἢ ἄλλο τι μικρῶν πράττειν, πίθον ἐγχειροίη ποιεῖν. Δικαίαρχος δὲ ἕτερόν τι φησὶ τὴν παροιμίαν δηλοῦν· οἱονεὶ τὴν μελέτην ἐν τῷ ὁμοίῳ ποιεῖσθαι ὡς κυβερνήτης ἐπὶ νηὸς καὶ ἡνίοχος ἐφ' ἵππων. Dicaearchus igitur proverbium sic intelligi vult, ut cognatum sit ei, quod et apud Romanos et apud nos est „ne sutor supra crepidam.“ Hanc autem interpretationem nusquam comprobatam

inveni; neque ego Dicaearchum sequor, sed eam comprobo, quam paroemiographi et Erasm. p. 157 praebent, qui sic de hoc proverbio disseruit: „de eis (sc. dictum est proverbium) qui protinus maximis in rebus artificii sui capiunt experimentum, cum paulatim a minutis ad summa proficisci conveniat. Neque enim figulus statim e dolio, id est vase maximo artem auspicatur, sed a pusillis quibusdam vasculis, in quibus non sit grave dispendium, si quid secus accidat.“

Jam quae vis locutionibus ἀσκὸν δείρειν τινά, in nub. 442. (cf. Solon. 33,8 ap. Bergk. p. lyr. gr.), et πονηροῦ κόμματος εἶναι in plut. 862 subjecta sit, quarum illa ab arte, qua coria perficiuntur, haec ab arte nummorum percutiendorum petita est, pluribus exponere non est necesse, cum apud nos eaedem locutiones in ore vulgi versentur. Occurrit altera locutio iterum in ran. 890, ubi Euripides dicit: ἕτεροι γάρ εἰσιν οἷσιν εὔχομαι θεοί, tum Bacchus: ἴδιοί τινές σου, κόμμα καινόν;

Ad hortorum culturam attinet locutio quam in vesp. 479 legimus: οὐδὲ μὲν γ' οὐδ' ἐν σελίνῳ σοὐστὶν οὐδ' ἐν πηγάνῳ, ubi schol.: παροιμία ἐπὶ τῶν μηδὲ κατὰ τοὐλάχιστον διηνυκότων, οἷς ἐπέθεντο· μετήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν κήπων· ἐν γὰρ τοῖς λεγομένοις περικήποις τὰ σέλινα καὶ πήγανα κατεφύτευον. βούλεται οὖν λέγειν, οὔπω οὐδὲ ἀρχὴν ἔχεις τοῦ πράγματος, καθάπερ οἱ ἐν τοῖς κήποις εἰςιόντες ἐν τοῖς σελίνοις εἰσίν. Admonendum vero est, verba οὐδ' ἐν πηγάνῳ locutionis proverbialis non esse. Quae cur poeta addiderit, scholiastes sic explicat: τὸ δὲ πήγανον εἶπε ἐπειδὴ καὶ σέλινον προςέταξεν, scilicet risus captandi causa. cf. App. IV, 38: ἐπὶ τῶν μακρὰν τοῦ τέλους ἀπεχόντων. cf. Apost. 13,47. Hesych Suid. s. v. Erasm. p. 273.

De sutorum pallido colore oris sumpta est locutio, quam Aristophanes in pac. 1309 attigit, ubi Trygaeus hospites cohortatus est, ut cibos appositos cupide appeterent neve albis dentibus parcerent, haec dicens:

οὐδὲν γὰρ ὦ πονηροί
λευκῶν ὀδόντων ἔργον ἔστ', ἢν μή τι καὶ μασῶνται,

ubi schol.; ὅτι παροιμία ἐστίν· καὶ οὕτως „οὐδὲν ἔργον ἔστιν

ἀνδρῶν λευχῶν, ἢν μή τι καὶ μάχωνται"· ἔτι δὲ οὕτως „οὐδὲν λευχῶν ἀνδρῶν ἔργον, εἰ μὴ σκυτοτομεῖν." Quorum proverbiorum quid prius significet, intelligere non possum; corrupta ea verba esse mihi videntur; quibus de verbis sanandi quae mea sit conjectura, paulo post explicabo; antea autem de proverbio disputandum est, quod alterum scholiastes notavit οὐδὲν λευχῶν ἀνδρῶν ἔργον, εἰ μὴ σκυτοτομεῖν. Pallidus enim sutorum color in ore vulgi erat, ut docent versus in eccles. 385—90, ubi mulierum contio propter ora pallida cum sutorum comparatur.

Ex pallido sutorum colore ortum est illud proverbium Quid significet legimus in App. IV, 35: ἐπὶ τῶν εἰς μηδὲ λυσιτελούντων, ubi forma proverbii paululum mutata legitur οὐδὲν λευχῶν ἀνδρῶν ὄφελος ἢ σκυτοτομεῖν. Contractiorem proverbii formam praebent Apostolius, Arsenius, Photius; apud quos haec tantum: οὐδὲν λευχῶν ἀνδρῶν ὄφελος.

Nunc accedam ad id proverbium, quod prius scholiastes notavit, οὐδὲν ἔργον ἔστιν ἀνδρῶν λευχῶν ἢν μή τι κα μάχωνται, quibus verbis mendum inesse apparet. Atque equidem ea emendanda esse hoc modo puto: legendum esse ὀδόντων pro ἀνδρῶν et μασῶνται pro μάχωνται, ita ut in scholiis eandem locutionem legamus, quam poeta scripsit Comprobatur emendatio mea eo, quod accepta emendatione scholia, quae antea intellectu carebant, plane intelliguntur Nam qui emendata scholia consideraverit, intelleget, verba ὅτι παροιμία ἐστὶν ad notam pertinere, quam scholiastes prope versum in codice vel significatam invenit vel ipse fecit Tum verba καὶ οὕτως nihil aliud sibi volunt, quam ut indicent proverbium, quo poeta usus sit; veluti persaepe proverbia, quae poeta usurpavit, a scholiastis repetita legimus Sequentibus scholiastae verbis simile proverbium affertur.

Quodsi quis quaerat, quae vis proverbii fuerit, existimo dictum esse proverbium de eis, qui ad unam tantum rem perficiendam idonei essent.

Notum est pueros, cum septimum annum agant, dentes mutare, ut docent loci qui sunt ap. Sol. N. 27 (cf. Bergk p. l. gr.):

παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν.

Plaut. Menaech. 1116: septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulum. Juv. 14,10—11: cum septimus annus transierit puerum, nondum omni dente renato, etc. Hac ex re locutio orta est: ἑπτέτης ὢν ὀδόντας οὐκ ἔφυσεν, quam Aristophanes in ran. 416—18 attigit, ubi Archidemum quendam, qui eo tempore magna auctoritate in re publica erat, irridens haec dicit:

βούλεσθε δῆτα κοινῇ
σκώψωμεν Ἀρχέδημον,
ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας.

Quae verba sic intelligenda sunt: Archedemus enim peregrinus erat eamque ob causam non particeps societatum, quas Athenienses φρατρίαι vocabant. Quapropter poeta dicit, eum jam septem annos Athenis versari nec tamen usque ad hoc tempus in societatem, quae φρατρία vocetur, pervenisse, attingens locutionem proverbialem ἑπτέτης ὢν ὀδόντας οὐκ ἔφυσεν, ut in scholiis legimus: ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ὀδόντας φραστῆρας, φράτορας εἶπε τουτέστι συγγενεῖς. Utrum locutio metaphorae tantum, an proverbii loco habenda sit, variant scholiastarum sententiae; alii enim eam metaphoram vocant: ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν παίδων, οἵτινες ὄντες περὶ τὰ ἑπτὰ ἔτη ἔχουσι πάντας τοὺς ὀδόντας, alii autem in proverbiorum numero ponunt. Paroemiographi eam non receperunt; Erasm. autem p. 310 b. de ea sic disputavit: „quadrare mihi videtur in eum, qui natu grandis, tamen adhuc quasi puerum agit; aut qui diu commoratus alicubi, nihil adhuc auctoritatis aut honoris sit assecutus."

Hoc loco addam locutiones quasdam, quae a pueris dictitabantur, veluti Suidas memoriae prodidit: Ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε: κωλάριόν τι παροιμιῶδες ὑπὸ τῶν παιδίων λεγόμενον, ὅταν ἐπινέφῃ ψύχους ὄντος Ἀ. Νήσοις „Λέξεις ἄρα ὥσπερ τὰ παιδί' ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε." cf. frgmt. 346.

Aliud exemplum ex Stratidis Phoenissis protulit Pollux IV, 7, p. 445: εὐθ' ἥλιος μὲν πείθεται τοῖς παιδίοις ὅταν λέγωσιν, ἔξεχ' ὦ φιλ' ἥλιε.

In vesp. 771 hujus locutionis mentionem factam esse:

καὶ ταῦτα μὲν οὖν εὐλόγως, ἢν ἐξέχῃ
εἵλη καὶ ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον·
ἐὰν δὲ νίφῃ, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος,

jam Burmannus in comment. ad h. l. notavit. Quod ad hujus locutionis originem attinet, Bergkius in poet. lyr. gr. p. 1297—1312 admonet, eam ex carmine populari prodiisse.

Alia puerorum locutio est τῷ σκέλει τὴν πέτραν θείνειν, qua poeta in av. 54 usus est, ubi Peithetaerus Euelpidem postquam ad saxum pervenerunt, ubi porta domus upupae erat, his verbis allocutus est: τῷ σκέλει θένε τὴν πέτραν. Usus est poeta locutione quadam puerorum, ut scholiastes docet: πρὸς τὴν τῶν παίδων συνήθειαν τοῦτο λέγει· φασὶ γὰρ ἐκεῖνοι πρὸς ἀλλήλους ἰδόντες ὄρνεα „δὸς τὸ σκέλος τῇ πέτρᾳ καὶ πεσοῦνται τὰ ὄρνεα.“ Similiter apud nos pueri, cum volucres vident, quas capere cupiunt, inter se jocose dicere solent „streu dem Vogel Salz auf den Schwanz.“

De adulatoribus locutio in usu erat, quae est ἀφαιρεῖ κρόκυθας, quam Aristophanem usurpasse refert Suidas. cf. Arist. frgmt. 360. Eadem de locutione disputavit Phrynichus (ed. Bekk.) 4,27: τίθεται δὲ ἐπὶ τῶν πάντα ποιούντων διὰ κολακείαν, ὥστε καὶ παρεπομένους ἀφαιρεῖν κρόκυθας τῆς ἐσθῆτος ἢ κάρφος τι τῆς κεφαλῆς ἢ τοῦ γενείου.

De stultis hominibus, qui in rebus simpliciter perficiundis difficultates quaererent, vel ut in Latino proverbio est, qui in scirpo nodum quaererent (cf. Plaut. Men. 247. Tec. Andr. 941), dicebant Graeci: ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς, quod proverbium a Mac. 6,21 et in App. IV, 12 explicatur per: ἐπὶ τῶν προδήλων, et ap. Apost. XII, 34: ἐπι τῶν καταλιμπανόντων τὰ δῆλα καὶ ζητούντων τὰ ἀφανῆ. Attigit hanc locutionem poeta noster in nub. 75, ubi Strepsiades totam per noctem meditatus, quomodo ex aere alieno liberaretur, cum denique eam viam inire instituisset ut filium sophistis docendum traderet, exclamavit: νῦν οὖν ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων ὁδοῦ μίαν εὗρον· ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ.

Etiam in comoedia Ἀνάγυρος Aristophanem eandem lo-

cutionem adhibuisse hoc modo: ὅρμου παρόντος τὴν ἀτραπὸν κατεῤῥόηη, tradiderunt Photius p. 315,12 et Suidas. cf. frgmt. 143. Quodsi Erasm. p. 701 locutionis vim hanc esse dicit: „conveniet adagium in tergiversantes, qui quo praesens negotium suffigiant diverticula captant“, hanc interpretationem comprobare non possum, neque scio, unde Erasmus eam petiverit.

Idem significat locutio, quae est ὅστις οἶδε τὸ λευκὸν ἢ τὸ μέλαν, quam Aristophanem in equ. 1279 usurpasse:

> νῦν δ' Ἀρίγνωτον γὰρ οὐδεὶς ὅστις οὐκ ἐπίσταται,
> ὅστις ἢ τὸ λευκὸν οἶδεν ἢ τὸν ὄρθιον νόμον,

jam Aristarchus animadvertit, teste scholiasta: Ἀρίσταρχος παρὰ τὸ λεγόμενον „ὅστις οἶδε τὸ λευκὸν ἢ τὸ μέλαν“, quam locutionem alius scholiastes explicat sic: παροιμία ἐπὶ τῶν πάνυ φανερῶν. Ad Aristophanis versum intelligendum haec sunt afferenda: poetae nostri temporibus duo modulationum genera celebrata erant, quorum alterum ὁ λευκὸς νόμος, alterum ὁ ὄρθιος νόμος vocabatur, quod praecipue Arignotus exercebat; quapropter poeta reminiscens locutionis ὅστις οἶδε τὸ λευκὸν ἢ τὸ μέλαν pro τὸ μέλαν dixit τὸν ὄρθιον νόμον. Nos quoque similiter dicere solemus „das sieht doch Jeder, der schwarz von weiss unterscheiden kann“. Apud Romanos locutioni „albus an ater sis nescio“ alia vis subjecta erat; dicebant enim Romani hanc locutionem de eis, quos prorsus negligerent, veluti Catull. 93,2:

> nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,
> nec scire, utrum sis albus an ater homo.

Cic. Philipp. II, 16: et quidem vide, quam te amarit is, qui albus aterve fueris ignorans fratris filium praeteriit.

Tertia ejusdem significationis locutio est: τῷ τυφλῷ δῆλον, quam Aristophanes in plut. 48 usurpavit: καὶ τῷ τυφλῷ γνῶναι δοκεῖ τοῦτο, ubi schol: παροιμία ἐστί, τυφλῷ δῆλα τὰ μαρτύρια, vel ut in aliis: παροιμία ἐστί, τῷ τυφλῷ δῆλον, ἐπὶ τῶν πάνυ σαφεστάτων λεγομένη.

De eis, qui frustra laborem susciperent, dicebatur locutio λίθον ἕψεις, quae in vesp. 280 occurrit, ubi schol: παροιμία δέ ἐστιν ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων γενέσθαι τὸ λίθον ἕψεις, ὡς καὶ τὸ πλίνθον πλύνεις καὶ χύτραν ποικίλλεις καὶ εἰς ὕδωρ γράφεις καὶ Αἰθίοπα λευκαίνεις καὶ κατὰ θάλατταν σπείρεις, quam locutionem jam Theognidi notam fuisse, docent versus, qui sunt ap. Bergk. l. c. 105—6:

δειλοὺς εὖ ἕρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστίν·
ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.

Similes locutiones notavit Zenob. VI, 48 χαμαὶ ἀντλεῖς, φακὸν κόπτεις, in nott. crit. ad h. l.: θάλασσαν ἀντλεῖς, cui cognatum est verbum in equ. 830: θαλασσοκοπεῖς. Ex not. crit. ad Zenob. V, 27 hae sunt addendae: εἰς πῦρ ξαίνεις, κατὰ πετρῶν σπείρεις, εἰς οὐρανὸν τοξεύεις; ex Diog. I, 45: Αἰθίοπα σμήχεις, ᾠὸν (Schottius ἀσκόν) τίλλεις, φυσᾶν δίκτυον. cf. Erasm. p. 118.

In eos, qui secure aliquid agunt, nulloque obstante assecuturos se esse, quod velint, putant, dicitur locutio ἐρήμας τρυγᾶν, sc. ἀμπέλους, in vesp. 134—5, et in eccles. 884—7, ubi anum lascivam, ante januam amatorem exspectantem et ignorantem, puellam adstare atque eundem petere, puella his verbis allocuta est:

νῦν μέν με παρκύψασα προὔφθης, ὦ σαπρά,
ᾤου δ' ἐρέμας οὐ παρούσης ἐνθάδε
ἐμοῦ τρυγήσειν καὶ προςάξεσθαί τινα
ᾄδουσα.

De origine proverbii cf. schol. cod. V: ἔστι δὲ ἀπὸ τῶν τὰς ἀμπέλους τηρούντων ἀφροντίστως. Mirum est, quod neque paroemiographi neque lexicographi hujus proverbii mentionem faciunt.

De hominibus timidis nonnullae locutiones in usu erant, quarum unam legimus in ran. 484—5, ubi Xanthias ad Bacchum pavidum conversus dicit: ὦ χρυσοὶ θεοὶ ἐνταῦθ' ἔχεις τὴν καρδίαν; et Bacchus: δείσασα γὰρ εἰς τὴν κάτω μου κοιλίαν καθείρπυσεν (sc. ἡ καρδία).

Quodsi scholiastes refert, formam locutionis hanc fuisse: εἰς τὴν πυγὴν ἐξεῤῥύηκεν ἡ σοφία, quae in App. II, 32 sic explicatur: ἐπὶ τῶν μηδὲν χρηστὸν λεγόντων ἢ φρονούντων, mihi quidem res aliter se habere videtur; mea opinione locutio, quae in poetae verbis continetur non minus proverbii locum obtinuit, quam ea, quam in scholiis legimus. Nos similiter dicimus „das Herz in den Hosen haben."

Altera de timidis hominibus dicta locutio est τὴν αὑτοῦ σκιὰν δέδοικεν, quam Aristophanem in Babyloniis usurpasse, scholiastes Plat. 381 (ed. Bekk.) memoriae pro didit. Quid locutio sibi velit, apertum est. cf. Apost. 16,492. G. C. L. III, 18. Q. Cicero de pet. consul. 2,9: Antonius umbram suam metuit. cf. Erasm. p. 145.

Tertiam hujus generis locutionem in vesp. 643 legimus, ubi Philocleon Bdelycleoni malum minitatur, dicens: ἦ μὴν ἐγώ σε τήμερον σκύτη βλέπειν ποιήσω, ubi schol: ἐπὶ τῶν δειλιώντων. Eandem Eupolis usurpavit, cf. Meinek. II, p. 541: ἀτεχνῶς μὲν οὖν τὸ λεγόμενον, σκύτη βλέπει. cf. Mac. VII, 70. Zenob. VI, 2. Attigit hanc locutionem Aristophanes in pac. 669, ubi Trygaeus rogatus a Mercurio, imperante Pace dea, cur pacem non iniissent Athenienses, quae post Pylum expugnatam oblata esset, haec respondit: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσι, quae verba scholiastes recte sic explicat: ἀντὶ τοῦ ἐν φόβῳ τοῦ Κλέωνος. Jocose vox σκῦτος dicta est, quod Cleon in hac comoedia personam ejus agebat, qui Graece βυρσοπώλης vocatur.

Pigri homines dicere solebant: τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι, quibus verbis sycophanta in av. 1432 vituperatus a Peithetaero, quod, quamvis adulescens et corpore sano esset, tamen nihil aliud ageret, nisi ut sycophantaretur, pigritiam et scelestam vitam suam excusare studet. cf. vesp. 959. 989. Luc. Icarom. 3. evang. Luc. 16,3: εἶπεν δὲ αὐτῷ· τί ποιήσω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι. Scholiastes ad av. 1432 refert, proverbium nostrum simili ratione formatum esse atque id, quod sit πεζῇ βαδίζω· σκάπτειν οὐκ ἐπίσταμαι, quae verba corrupta Bentleius recte emendavit in πεζῇ βαδίζω· νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι. Nam verba πεζῇ βαδίζω

nullam rationem habent, nisi simile aliquid atque νεῖν sequitur.

Ad paupertatem inopiamque summam significandam dicebatur locutio γυμνότερος λεβηρίδος, quam Aristophanem in Amphiarao usurpasse, Erotianus in lexico Hippocratico p. 244 ed. Franz. memoriae tradidit, quo loco eodem vocem λεβηρίδος sic explicatam legimus: ὑμενώδους ἀποσύρματος, ὅπερ ἐστὶ τὸ τῶν ὄφεων λεγόμενον γῆρας. Hesychius s. v. γυμν. λεβ. similes locutiones notavit, quae sunt τυφλότερος λεβ. et κενότερος λεβηρίδος. cf. Zenob. II, 95.

Ad eos, qui in otio et pace vivunt, pertinet locutio μηδὲ κάρφος κινεῖν, in Lys. 474. cf. Apost. XI, 47. Diog. VI, 67. Haec locutio cognata est eis, quae res parvi momenti significant; magnus earum numerus est, veluti ψακὰς ἀργυρίου in pac. 121. cf. Plaut. Pseud. 1,4,4. Diog. VIII, 71. G. C. L. III, 41. ἄχνη ὕπνου in vesp. 92. cf. App. 1,44. πασσάλη ὕπνου in vesp. 91. στίλη ὕπνου in vesp. 213. — Tum vox πάσσαλος significabat, quae minimi aestimabantur, veluti: μηδὲ πάσσαλον ἔχειν, in eccles. 284, μηδὲ πάσσαλον καταλιπεῖν ap. Luc. jud. voc. 9, πασσάλου γυμνότερος ap. Aristaen. 2,18. Ejusdem generis est ἄξιος τριγός in ran. 614, de quo cf. Zenob. II, 4: ἐπὶ τῶν εὐτελῶν καὶ μηδενὸς ἀξίων· παρόσον ἡ θρὶξ οὐδενὸς ἀξία.

Huc referendae sunt voces τριώβολος et ὄβολος, quae item res minimi pretii significabant, velut in pac. 848—9: οὐκ ἂν ἔτι δοίην τῶν θεῶν τριώβολον εἰ πορνοβοσκοῦσ' ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί et in plut. 123—6, ubi Chremylus Pluto deo haec dicit:

> οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα
> καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου,
> ἐὰν ἀναβλέψῃς σὺ κἂν μικρὸν χρόνον.

et ὄβολος in nub. 118: τῶν χρεῶν οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὄβολον οὐδενί. Cui non in mentem venit vocis nostrae „Pfifferling", vel „Heller"?

Cum nostra „Quark" comparari potest vox Graeca βόλιτος, quam in equ. 658 legimus, ubi schol: βολίτου δίκη·

πρὸς τοὺς ἐπὶ μικροῖς δίκας ὑπέχοντας· ὁ γὰρ Σόλωνος νόμος καὶ τοὺς βόλιτον ὀφελομένους κολάζει. cf. App. I, 56.

Quodsi ad plut. 17: ἀποκρινόμενος τὸ παράπαν οὐδὲ γρῦ scholiastes vocis γρῦ tres interpretationes praebet: ἔστι δὲ ὄνυχος ῥύπος· τινὲς δὲ παρὰ τὸν γρυλισμὸν τουτέστι τὴν φωνὴν τῶν χοίρων, ἢ εἶδος μικροῦ νομίσματος· γρῦ γὰρ τὸ μικρὸν καὶ βραχύτατον, harum interpretationum secunda maxime probabilis esse videtur, cum verba γρύζω in equ. 294. plut. 454 et γρυλλίζω in plut. 307. Ach. 746, quae idem significant atque mutire, ejusdem stirpis esse videantur. Apud nos simile est „mucksen" et „nicht einen Mucks sagen."

Etiam animal quod est σέρφος in simili usu erat, velut in vesp. 353: πάντα πέφρακται κοὐκ ἔστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ σέρφῳ διαδῦναι, ubi schol: ἔστι δὲ θηρίδιόν τι μικρὸν (sc. σέρφος)· Κράτης δὲ μύρμηκα φησὶ τὸν σέρφον· οἱ δὲ ζωύφιον κωνωπῶδες, ἀφ' οὗ ἡ παροιμία „ἔνεστι κἂν μύρμηκι κἂν σέρφῳ χολή." Alius scholiastes hanc proverbii formam notavit: οὐδὲ μύρμηκι ὁδός ἐστιν. Quocunque modo res se habet, sive animal, quod σέρφος vocabatur, μύρμηξ fuit, sive species formicarum, ut Suidas refert: σέρφος: ζῷον μυρμηκῶδες, id certe constat, locutionem οὐδὲ μύρμηκι vel σέρφῳ ὁδός ἐστιν non minus proverbii locum obtinuisse quam ἔνεστι κἂν μύρμηκι κἂν σέρφῳ χολή. De illo proverbio cf. G. C. M. III, 8. Zenob. III, 70. Quid hoc significet, bene Erasmus p. 391 exposuit „admonet adagium, non esse contemnendum quempiam, nec ullum temere lacessendum; quandoquidem nullum animal tam minutum aut imbecillum, quod iratum non excandescat ira."

Addenda est locutio διὰ δακτυλίου ἕλκειν τινά, quae de hominibus tenuibus dicebatur; veluti anus lasciva in plut. 1136, quae desiderio amatoris perfidi maceratur et propterea macie jam tenuata est, dicit: διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἐμέ γ' ἂν διελκύσαις. Scholiastae hanc locutionem neglexerunt; Zenobius autem disputat de ea in III, 18 sic: διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι: ἐπὶ τῶν διὰ νόσον ἢ λύπην λεπτῶν καὶ ἰσχνῶν γενομένων. Similia legas ap. Diog. II, 8. IV, 30.

Denique de locutione vulgari disseram, quae in eos

dicebatur, qui doctius neque satis aperte aliquid narrarent vel explicarent:

ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον..

Occurrit ea in ran. 1445, ubi postquam Euripides rogatus, quomodo res publicae Atheniensium afflictae optime sanarentur, haec dixit:

ὅταν τὰ νῦν ἄπιστα πίσθ' ἡγώμεθα,
τὰ δ' ὄντα πίστ' ἄπιστα,

Bacchus qui ea non intellexit, sic locutus est:

πῶς; οὐ μανθάνω,
ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον.

Quam locutionem fuisse vulgarem scholiastes auctor est; cf. Apost. V, 64a. et Suid s. v. ἀμαθ. Neque Gellis ignota ea erat, qui N. A. XII, 5 ea utitur.

Ultimo loco de formulis dicendi disserendum mihi est.

Recte Rohdew. l. c. ad monet, formulam dicendi usitatissimam fuisse κἆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην, quam in ran. 51. Xanthias servus usurpat, Bacchum dominum tecte deridens, qui tredecim se naves nuper depressisse affirmat. Dictam esse locutionem, docuit Rohdew., quotiens quae narrarentur vana somniisque similia viderentur. Quodsi idem annotat, hodiernis quoque temporibus eandem in vulgi ore versari, mihi quidem locutionis usus ignotus erat; sed comprobata inveni, quae Rohdew. annotavit, a Kockio in adnott. ad h. l., ubi is confert Agricolam „teutsche Sprichwörter, 1624: und mit dem erwacht ich.“

Aliae formulae sunt: δίκαια κἄδικα in equ. 256. nub. 29. δικαίως κἀδίκως in plut. 233. cf. Plat. leg. 5,743 B. Ter. Adelphi 5,9,33 et Heaut. Timorum. 4,7,11: justa injusta. κακὸν κακῶς in plut. 65: ἀπολῶ σε κακὸν κακῶς. in equit. 2: Παφλαγόνα τὸν νεώνητον κακὸν κακῶς ἀπολέσειαν οἱ θεοί. in plut. 879: ὁ θεὸς ἐξολεῖ τοὺς συκοφάντας κακοὺς κακῶς. in plut. 418: ἐξολῶ ὑμᾶς κακοὺς κακῶς. in equit 189—90: κακὰ κακῶς, ubi scholiastes voce παροιμιῶδες admonet, has formulas in ore vulgi versatas esse.

τρίχας καὶ κέρατα, quam formulam Aristophanes in av. 901—2: τὰ γὰρ παρόντα θώματ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν γένειον τ' ἐστι καὶ κέρατα, attigit, ut scholiastes docet. Similiter nos dicimus „Haut und Knochen". cf. Plaut. aul. 3,6,28: ossa atque pellis totus est.

Haec habui, quae de proverbiis locutionibusque ex usu vitae communis petitis apud Aristophanem comicum dissererem.

Postremo perpaucis formam proverbiorum attingam. Nemo erit, qui non viderit, permulta proverbia in certam esse redacta formam. Quadecausa quaerendum est, quae proverbia rythmicum motum referant, quae non. Atque permulta apud Graecos proverbia fuisse, quae soluta essent, jam eo docemur, quod memoriae traditum est, Aristophanem Byz., ut jam supra commemoravi, duos libros τῶν ἐμμέτρων et quattuor τῶν ἀμέτρων scripsisse. Quodsi Bergkius, (Lit.-Gesch. p. 366) ea ex re colligit, numerum proverbiorum solutorum multo majorem fuisse quam eorum, quae metris adstricta essent, nondum judicari potest, utrum Bergkius recte collegerit necne. Qua de re tum fortasse recte judicari poterit, cum de omnibus proverbiis Graecis disputari poterit. Quanquam mihi quidem verisimile est, proverbia adstricta metris majore in numero fuisse quam proverbia soluta; qua in re comprobanda mihi videntur, quae Meinekius in epimetro de proverbiis paroemiacis ap. Theocr. p. 454—69 dixit: „nimirum Graeci, quos ipsa natura ad poesin formaverat, cum omnibus quae agerent dicerentve poeticum quendam habitum induerunt, etiam proverbiorum lubenter ea usi sunt specie, quae rythmicum motum referret." Jam de forma proverbiorum locutionumque, quae apud Aristophanem comicum inveniantur, accuratius disserere, hoc tempore neque aptum neque utile putavi, quod mea quidem sententia ea de re tum demum accurate disseri potest, cum omnia ex omnibus scriptoribus proverbia collecta habebimus. Hoc loco id tantum commemorabo, formarum usitatissimam esse videri anapaesticam; quae ipsam ob causam, quod in adagiis persaepe usitata est, paroemiaca appellata est, ut

Hephaestion VIII p. 46 docuit. cf. Fritzsche ed. Theocr. 1869. prooem. p. 11. not. 30. et Meinek. epim. de prov. paroem. Sed et alias formas usitatas fuisse, scholiastes ad plut. 618 jam admonuit, ubi de versu paroemiaco haec annotat: καλεῖται δὲ παροιμιακὸν, ὡς Ἡφαιστίων φησὶ (sc. VIII. p. 46), διὰ τὸ παροιμίας τινὰς ἐν τούτῳ τῷ μέτρῳ εἶναι· οὐκ εἰκότως δέ· εἰσὶ γὰρ παροιμίαι ἐπικαὶ καὶ ἰαμβικαὶ, καὶ οὐ τούτου μόνου τοῦ μέτρου. —

Sententiae controversae.

1. **Pro** verbis schol. Aristoph. ad pac. 1310: οὐδὲν ἔργον ἐστὶν ἀνδρῶν, ἢν μή τι καὶ μάχωνται legenda esse haec censeo: οὐδὲν ἔργον ἐστὶν ὀδόντων, ἢν μή τι καὶ μασῶνται.

2. In Aristoph. av. 16 locutionem proverbialem inesse auctore G. Hermanno (opusc. VIII, p. 309 — 10) existimo; quapropter scribendum esse censeo ἐκ τῶν Ὀρνεῶν pro ἐκ τῶν ὀρνέων librorum.

3. Mensium Delphicorum tres Baccho consecrati erant; nomina eorum sunt Δαδαφόριος, Ποιτρόπιος, Ἀμάλιος.

4. In Pers. sat. V, 13 legendum esse censeo stloppo pro scloppo.

5. In Pers. sat. V, 19 lectionem codicum recentiorum, quos O. Jahn in ed. Berol. 1868 nota ς significat, comprobo, qua bullatis pro pullatis codicum α C legitur.

Ludovicus Bauck de vita sua.

Natus sum Guilielmus Ludovicus Bauck in pago Charlottenthal prope Schwetz oppidum Borussiae occidentalis sito a. d. XVII. Kal. April. a. h. s. LV patre Julio adhuc vivo, matre Guilielma e gente Ristowiana, quam abhinc quinque annos e vita discessisse doleo. Confessioni addictus sum evangelicae. Postquam pater domicilium transtulit, literis elementariis in ludo pagi Münsterwalde prope Mariaeinsulam siti imbutus sum. Undecimum annum agens gymnasio Mariaeinsulano erudiendus traditus sum. Auctumno a. h. s. LXXIV maturitatis testimonium adeptus academiam Albertinam adii, ut studiis antiquitatis sermonisque patrii operam darem. Per novies sex menses praeceptoribus usus sum professoribus cl.

Friedlaender, Hirschfeld, Jacoby, Jordan, Lehrs †, Ludwich, Merguet, Quaebicker, Schade, Walter,

quibus omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Seminario philologico, quod etiamnunc floret sub auspicatissimo regimine v. d. Friedlaender et Jordan, sodalis interfui ordinarius per quater sex menses.

Vere a. h. s. LXXIX academiam Albertinam reliqui, ut munus praeceptoris domestici Condehneni susciperem, quod est praedium prope Regimontum situm.

A. d. VIII. Id. Dec. a. h. s LXXIX examen pro facultate docendi, a. d. VII. Kal. Mart. a. h. s. LXXX examen rigorosum sustinui. —